



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Obligationibus, Functionibus Et Juribus Parochialibus

Engel, Ludwig

Salisbvrge, 1662

Pars II. De Administratione Sacramentorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41598

PARS II.

De administratione Sa-
cramentorum per Paro-
chum facienda.

Circa Sacramentorum admini-
strationem omitto ea, quæ Di-
Theologi de institutione, materia,
forma, speculativè & prolixius expo-
nunt, illa solummodo breviter nota-
urus, quæ ad practicam Sacramento-
rum administrationem pertinere cen-
sentur, Proinde sit

CAPUT I.

De Baptismo.

1. *Infans debet baptizari, quamprimum
commode potest.*
2. *Minister Baptismi non solennis
omnis homo ratione præditus, dum-
modo habeat intentionem faciendi
quod facit Ecclesia, solennis autem*

Baptismi ministri sunt Episcopi & Sacerdotes quandoq; etiam Diaconi.

3. Presente digniore non debet baptizare inferior.
4. Circa Sacramenta extra casum necessitatis semper tenenda est sententia probabilior.
5. In casu necessitatis probabiliter licet baptizanti uti materia dubia.
6. Item abluere partem baptizandi non principalem.
7. Quando dubium occurrit de Baptismo legitime collato debet repeti sub conditione.
8. In necessitate à Laico baptizatus non debet baptizari, nisi rationabile dubium subsit de valore baptismi.
9. Non baptizatus salvari potest per baptismum fluminis.
10. Monstra quomodo & qualiter baptizanda?
11. Baptismus debet conferrri in Ecclesiis. fallit in filiis magnatum.
12. Patrinus tantum debet esse unus, vel ad summum unus & una.

13. *Non requiritur certa etas in Pa-
trinis.*

14. *Parochus hortari debet, ut bap-
tizando detur nomen alicuius Sancti,
cuius tutela committatur.*

Non repeto hîc quibuscum solen-
nitatibus & cæremonijs Baptis-
mus conferendus sit, nam suppono in
his Parochos sufficienter ex suo Pasto-
rali libro instructos esse: sed quasdam
tantum in dubijs, quæ circa praxim
Baptismi frequentius occurrere pos-
sunt, resolutiones subnotabo.

Not. igitur est 1. quod parentes &
alii, qui curam infantium gerunt, ob-
ligentur, ut eos, quàm primùm comode
possunt, ad baptismum afferant, nulla
tamen certa dies determinatur, in qua
infans baptizandus sit, propterea con-
suetudinem singularum Ecclesiarum
attendendam monet Laym. *in Theol.*
mor. lib. 5. tr. 1. c. 6. sub. n. 8. imo
Sotus dist. 5. q. un. art. 3. non impro-
bat illorum morem, secundum quem
Ba

Baptismus in 8. 10. etiam 12. diem differtur. Sed tam longam dilationem ego semper dissuaderem, quamvis enim non semper appareat periculum præmaturæ mortis, semper tamen prudenter timeri debet, ne infans æternæ salutis jacturam patiatur, cum improvise mortis quotidiana sint exempla.

Not. est 2. quod minister Sacramenti Baptismi sit omnis homo ratione præditus, etiam non orthodoxus, dummodo habeat generalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & adhibeat materiam & formam essentialem. *c. in necessitate. c. Romanus. dist. 4. de cons. Trid. sess. 7. de Baptismo. can. 4.* ita tamen, ut imprimis solennem Baptismum cum ordinarijs Ecclesiæ cæremonijs tantum Episcopi & Sacerdotes conferre possint, & etiã juxta probabilem sententiam, Diaconi, si illis ob rationabilem aliquam causam Baptizatio à proprio Sacerdo-

D s

te

te commissa fuerit. *Gl. in c. Diaconos. dist. 93. Laym. d. l. c. 7. n. 3.* Alij verò inferiores Clerici & Laici non nisi in casu necessitatis, quando scilicet præsens periculum mortis subest, ad baptizandum cum simplici adhibitione, immersione, vel affusione aquæ, & prolatione verborum sine alijs solemnitatibus ad baptizandum admittuntur. eo quoque ordine (ad honestatem, non verò valorem Sacramenti) observato, ut præsentem Presbytero non baptizet Diaconus, nec præsentem Diacono inferior Clericus, nec præsentem Clerico Laicus, nec præsentem viro femina. *s. mulier. c. in necessitate. dist. 4. de consec.*

Not. est 3. quòd in extrema necessitate multa liceant baptizanti, quæ aliàs minimè licerent. Etenim extra casum necessitatis minister Sacramenti in his quæ ad substantialia Sacramenti pertinent, non quamcunque opinionem probabilem sed semper certiore[m]

& probabiliorem sequi debet ; at ve-
 rò in casu necessitatis etiam probabi-
 lem aliquam praticare potest ; quia
 utique melius est, dubiam facere salu-
 tem infantis morituri, quàm despera-
 tam relinquere, eo ferè modo, quo me-
 dici in agone omnia tentant, ut ager
 reconvalescat. nec est quòd tali casu
 irreverentia Sacramenti timeatur, ut-
 pote quam probabilitas sententiæ, ze-
 lus animæ salvandæ, periculum & ti-
 mor instantis mortis penitus excludit,
*non enim intervenit temeritas presump-
 tionis, ubi est diligentia pietatis.* inquit
 Pont. in c. si nulla dist. 4. de cons. unde

Not. est 4. quòd baptizans semper
 quidem ad laborare debeat, ut materi-
 am certam adhibeat, videlicet *aquam
 elementarem* ; Interim tamen si ta-
 lem habere nequeat, & infans jam jam
 agonizet, probabiliter etiam materiã
 dubiã uti non prohibetur : cuiusmodi
 materiæ dubiæ censentur aquæ ex her-
 bis distillatæ, jusculum aut cerevisia te-

niter cocta, lixivium & similes. *Conis.*
ap. Cast. Pal. de Bapt. pun 3. n. 2. pariter

Not. est 5. quamvis communiter
 teneant DD. quòd ad valorem Bapti-
 smi requiratur, ut nisi totus homo, sal-
 tem principalis aliqua pars ipsius ab-
 luatur, ut caput, vel pectus, & ita quidè
 ut aqua ad ipsum corpus pertingat.
 Nihilominus in casu necessitatis etiam

- 6 v. g. manui quam infans ex utero ma-
 tris exierit, vel pelli secundinae cui in-
 volutus est, aquam aspergi posse, plerum-
 que consentiunt. Imò licet aliàs tota-
 liter in utero matris existens cum ma-
 tre baptizari nequeat, *quia qui natus*
adhuc secundum Adam non est renatus
secundum Christum non potest ut dicitur
 in *c. qui in maternis. dist. 4.*
cons. Si tamen obstetrix tam perita
 foret, ut manu in uterum inserta, pro-
 lis corpus aqua perfundere possit un-
 cum prolatione verborum baptismi
 id omnino tolerandum docent plures
 apud Laym. *d. l. c. 3. sub n. 2.*

Not

Not. est 6. quòd Baptismus ordinariè sine sacrilegio repeti non possit, quia est de illis Sacramentis, quæ characterem in anima recipientis imprimunt, sicut est Confirmatio & Ordo *Trid. sess. 7. de Sacram. in genere. can.º*

9. Dico autem ordinariè: nam quoties dubium *facti* occurrit, an aliquis sit aliquando baptizatus, v. g. infans expositus vel à matre in captivitate infidelium constitutâ natus, &c. aut dubium *Iuris* an quis sit legitimè baptizatus, v. g. si sit baptizatus cum materia aut forma dubia vel in parte nõ principali, vel quòd aqua corpus nudû non contrigerit, vel denique baptizans ex post facto convictus aut confessus fuerit, quòd plurimos illegitimè baptizârit, his & similibus, inquam, casibus baptismus repeti potest, & debet, non quidem absolutè, sed sub illa conditionata forma verborum, quæ præscribitur in *c. 2. extra de baptismo*, videlicet, *si baptizatus es, non te baptizo, si nondum*

dum

dum baptizatus es, ego te baptizo &c.
 unde monet Barb. *de off. Par. p. 2. c.*
 17. quòd si infans domi in casu neces-
 sitatis baptizatus sit, parochus diligen-
 ter inquirere debeat, quis, quâ materiâ,
 quâ formâ, in quâ parte corporis &c.
 baptismum contulerit. Sed quid di-
 cendum de illa consuetudine, quæ in
 quibusdam locis viget, quòd omnes in-
 fantes in casu necessitatis ab obstetrici-
 bus baptizati cessante periculo denuò
 sub conditione per Parochos rebapti-
 zentur? *R.* id quidem fieri debere,
 ut infantes in necessitate à Laicis bap-
 tizati cessante periculo ad Ecclesiam
 deferantur, & ibi unctiões aliæq; so-
 lennitates adhibeantur. *c. Spiritus S.*
§. ecce. 1. q. 1. Sa. v. baptismus. n. s. Zo.
in tit. de baptismo in fin. Sed ipsa sub-
 stantialia baptismi non aliter reperen-
 da sunt, quàm si aliqua saltem rati-
 onabilis suspicio intersit baptismum
 non esse modo legitimo per Laicum
 collatum, ut quia persona rudis est

ver

verba inconsueta protulit, vel si experientia constet in aliquo loco complures esse obstetrices veneficas, quæ studio baptismum invalidum conferant. *vid. Cathecism. Romæ. Py V. de baptis. p. 2. c. 2. n. 43.* Cæterum à fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus, quamvis de ipsius baptismo certò non constet, nihilominus tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. *c. veniens. in fin. de presb. non bapt.* neque in tali periculum damnationis subest, si forsàn reverà baptizatus non sit, quia per baptismum fluminis salvatur, si verum desiderium Baptismi habeat, sicut ille, qui baptizari desiderans morte prævenitur, de quo S. Augustinus *in c. 2. de presb. non bapt.* dicit, *Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.*

Not.

Not. est 7. quòd, si contingat ali-
 10 quod monstrum nasci (ut nonnunquã
 ex congressu cum bestijs fieri solet) tunc
 antequam baptismus conferatur, dili-
 genter inspiciendũ sit, an partes prin-
 cipales talis monstri videl. caput &
 pectus hominis figuram referant, nec-
 ne; quòd si non referant, Baptismus
 quoque conferendus non erit; sin au-
 tem aliquammodo dubitetur, dilatio fa-
 cienda est, usque dum natura talis par-
 tus melius innotescat, vel certè si peri-
 culum mortis instet baptizatiõni con-
 ditio adijciatur: *Si tu es homo, ego te
 baptizo &c.* Sed quid obiervari
 debet si partus propterea sit monstro-
 sus, quòd videatur ex gemellis concre-
 tus? R. distinguendum esse an cer-
 tò constet, esse duos homines, ut qui
 habent duo diversa capita, quatuor pe-
 des diversos: vel certè dubitetur, ut
 quia unum tantum caput & duo pe-
 ctora apparent, &c. priori casu utri-
 que homini suus proprius Baptismus
 ipe

specialiter impertiendus est. Altero
 verò casu Baptismus usque ad meliorē
 cognitionem differri debet, vel instan-
 te morte una pars potest simpliciter
 baptizari, & altera sub conditione, *si*
non es baptizatus, &c. Laym. ubi supra.
c. 6. n. 13. Cast. Pal. de bapt. pun. 6. n. 4.

Not. est 8. quòd Baptismus non
 debeat conferri, in aulis, vel cameris,
 vel alijs privatis domibus, sed duntaxat
 in Ecclesia, ubi sunt ad hoc fontes
 specialiter deputati, nisi tamen subfue-
 rit necessitas ob quam infans absque
 periculo ad Ecclesiam deferri neque-
 at, vel nisi fuerint Regum, aut Princi-
 pum filij, quibus etiam conceditur ut
 domi suæ baptizari possint. *Clem. un.*
hoc tit. imò quod de Principibus dici-
 tur, tanquam in materia favorabili ad
 alias personas illustres, & potentes ex-
 tendunt quidam apud Mascard. *de*
prob. concl. 1001. n. 4. quod tunc saltē
 admittendum videtur, si talis in aliquo
 loco consuetudo vigeat, ut personarū
 illu-

illustrium filij in suis ædibus vel palatij baptizentur.

- 12 Not. est 9. quòd de Jure communi non nisi unus sive vir sive mulier baptizatum de sacro fonte suscipere possit. *c. un. de cogn. spir. in 6.* vel ad summum unus & una, ut novissimè statuit Conc. Trid. *S. 24. de ref. Matr. c. 2.* quare in eodem *c. 2.* Trid. ulterius constitutum est, ut Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter de electis patrinis interroget, neque plures quàm in Concilio determinatum admittat, deinde verò in libro eorundem nomina describat, doceatque eos quam cognationem spirituales contraxerint &c. Porro in his patrinis nullam certam ætatem requiri, dummodo rationis capaces sint & fideles Catholici, hominesque boni testimonij, communiter docent auctores, ut videre est apud Barb *de off. Par. p. 2. c. 17. n. 27 & seq.* nam licet in adoptione legali ubi de successione

he

hereditaria & subiectione adoptati ad
 adoptantem agitur (ubi proinde in-
 conveniens est majorem minori subij-
 ci, ei que succedere) requiratur, ut ado-
 ptans adoptatum plena pubertate, id
 est, 18. annis precedat. §. *minorem.*
inst. de adopt. Alia tamen est ratio in
 Baptismo, ubi est quædam regeneratio
 in Christo, in quo non differt masculus
 à fæmina, juvenis à sene, & ideo potest
 quilibet effici pater spiritualis alterius,
 si ad spiritualem illius regenerationem
 eo quo requiritur modo, concurrat, ut
 etiã advertit Sanch. *de matr. l. 7. disp. 61.*

Demùm, quod attinet ad nomen
 baptizandi, utique inconveniens est, si ¹⁴
 id potius ab aliquo gentili, quàm San-
 cto ducatur : propterea rectè monet
 Barb. *de off. par. d. p. 2. c. 17. n. 20.* ut
 Parochus hortetur paternos, & dese-
 rentes infantẽ, quatenus ei nomen ali-
 cujus Sancti imponant, cujus patrocini-
 o & tutelæ vita ipsius inter tot hu-
 manos casus commendata sit.

CAPUT

CAPUT II.

De Pœnitentia.

1. Parochus quoad curam animarum debet esse approbatus ab Episcopo, vel habente jurisdictionem Episcopalem.
2. Approbatio sicut & dispensatio non tantum verbis, sed & facto fieri potest.
3. Approbatus quoad unam parochiam non est approbatus quoad totam diocesim, fallit de consuetudine.
4. Confessiones suorum subditorum potest parochus etiam audire extra suam parochiam.
5. Capellani parochorum debent esse approbati ab Episcopo loci ubi servant.
6. Communi opinione hominum habitus pro legitimo Capellano valide absoluit.
7. Quo iure possit parochus ad breve tempus tenere Capellanum non approbatum.

8. Qui

8. *Quibus possit Parochus administrare Sacramentum pœnitentiæ.*
9. *Parochus debet audire confessiones, quoties parochiani rationabiliter petunt.*
10. *Parochus non debet esse difficilis in concedenda licentia, ut parochianus alteri confiteatur.*
11. *In casibus reservatis Parochus non habet jurisdictionem.*
12. *fallit in articulo mortis.*
13. *Periculum mortis evadens an teneatur pro nova absolutione adire superiorem.*
14. *Pro pœnitente, qui persuaderi non potest, ut adeat superiorem, debet Parochus impetrare licentiam absolvendi.*
15. *An habens casum reservatum, ita præcisè debeat mitti ad Superiorem, ut non possit mitti ad alium habentem licentiã absolvendi à reservatis.*
16. *Quæ sit distinctio inter jurisdictionem prorogatam & delegatam.*

17. in

17. *in foro interno prorogatio jurisdictionis non habet locum sine licentia proprii Ordinarij,*
18. *Quid statuendum si habens casus reservatos sit ex aliena diocesi.*
19. *Qualiter verum sit, quod judicium feratur secundum leges loci.*
20. *Casus reservati an durent post mortem Episcopi.*
21. *Casus papales omnes habent censuram annexam, & ideo excusatus à censura, excusatur etiam à reservatione.*
22. *Excusatus à mortali, excusatur à censura.*
23. *Ignorans censuram quamvis sciat actum prohibitum, ex aliquorum opinione excusatur à censura, quia in censuris requiritur contumacia.*
24. *Multae censurae non sunt usu receptae.*
25. *Lex non recepta non ligat, & recepta per contrariam consuetudinem abrogari potest.*

26. *Bulla Cœnæ alicubi non est recepta.*
 27. *De stylo Curia Bullæ Romæ tantum promulgata ligant ubique.*
 28. *Excommunicatio non incurritur propter actum merè internum.*
 29. *Casus Papalis propter difficultatem fit Episcopalis.*
 30. *Propter privilegia quorundam plerumque non est necesse pœnitentem mittere Romam.*
 31. *Per S. Congreg. Episc. privilegia Regularium sunt limitata.*

Qualiter hoc Sacramentum administrandum sit, & quomodo cum pœnitentibus agendum, de gravitate peccatorum judicandum &c. apud Theologos legendum erit, quorum passim hac de re Tractatus extant. Ego tantùm ea, quæ ad *Jurisdictionem* Parochi in administratione hujus Sacramenti pertinent, illâ, quâ soleo, brevitate resolvam. Igitur

Not. I. quòd Parochus sive sæcularis sive regularis, ut *Jurisdictionem* fori

fori

fori poenitentialis respectu secularium
 personarum ante omnia debeat esse
 approbatus ab Episcopo. *Trid. S. 23.*
 1 *de ref. c. 15.* Nomine autem Episcopi
 veniunt etiam inferiores Prælati Juris-
 dictionem quasi Episcopalem, vi spe-
 cialis territorij, privilegij, vel præscri-
 ptionis habentes *Trid. S. 25. de Reg.*
c. 11. in fin. videantur, quæ circa præ-
 scriptionem pulchrè tradit Panorm.
inc. cum non liceat. circa fin. de præ-
script. tex inc. auditis. 15. & c. cum o-
lim. 18. eod. tit. Barb. in d. c. 15. Trid.
n. 23. Quòd si cura personarum sa-
 cularium sit annexa Monasterio ubi
 Abbates, Generales, aut Capita Ordinis
 eorum sedem principalem ordinariam
 habent, tunc etiam de ipso Concilio
 Trid. Episcopi approbatio non requi-
 ritur, ut clarè dicitur in *sess. 25. de Re man-*
gul. c. 11.

Porro confertur approbatio non
 2 tantum per verbalem contestationem
 sed etiam per ipsam actualem parochiam
 chie

rium
 esse
 23.
 scop
 uril
 i spe
 scri
 Reg
 pra
 orm
 pra
 m a
 Trid
 n sa
 ubi
 Ord
 riam
 cilio
 equi
 Re
 non
 onē
 varo
 chia

chie collationem & hoc ipso, quod
 Episcopus alicui parochiam conferat
 eundē approbare censetur, quia *in sess.*
23. cap. 15. sub disiunctio[n]e requiritur,
 ut aliquis vel approbationem *per exa-*
men, si videbitur necessarium, obtineat
 vel *Parochiale beneficium habeat.* pro-
 ut in simili dispensatio nonnunquam
 ipso facto sine expressione verborum
 conceditur, quando in aliquem habentem
 defectum, actus positivus per di-
 spensatorem exercetur, qui actus sine
 dispensatione diceretur non legitime
 factus v. g. si Episcopus illegitimè na-
 to scienter conferat minores Ordines
 & simplex beneficium, quod facere
 potest *jux. c. 1 de filiis presbye. in 6. ita*
quoq; ex L. imperialis 23. §. similes 4.
C. de nupt. notant Gottof. & DD. fa-
 mam tacitè restitui illi infami, cui
 Imperator dignitatem aliquam dedit.
 Not. 2. quod, licet ex communi
 sententia Parochus approbatus quoad
 unam Parochiam, non propterea
 E

ccn-

censeatur approbatus quoad totam
 dioecesim teste *Piassec. in praxi Episc. p.*
2. c. 1. n. 10. Nihilominus si aliquis vic
 tute Bullæ Cruciatæ aut Iubilæi posse
 sibi eligere quemcunq; Confessarium
 approbatum etiam talem Parochum
 eligere non prohiberetur, quamvis
 3 aliàs ipsius Parochianus non esset. Ita
 tem Consuetudine passim receptum
 est, ut ab uno Parocho possit alteri Pa
 rocho cura in sua Parochia comitti &
 delegari, ut ita unus Parochus alterius
 Parochi ad breve tempus absentis vi
 ces supplere possit. id quod non tan
 tum in duobus Parochis in eadem
 diocesi, sed etiam in confinio dua
 rum diversarum diocesium constitutum
 procedere quidam existimant. *vid. L.*
en tract. de Poenit. disp. 21. sect. 1. n. 1.
 quam opinionem confirmat notum
 Juris axioma, quod Consuetudo tra
 buat Jurisdictionem. *c. dilecti. 4. De*
Arbit c. cum contingat. 13. De fo
comp.

Not. 3. quod Confessiones suorum Subditorum possit Parochus etiam extra suam Parochiam audire, si v. g. cum suis Parochianis in alienam parochiam peregrinatum iverit, & ibi aliqui confiteri desiderent. quia absolutio Sacramentalis est actus voluntariæ Jurisdictionis qui extra territorium etiam exerceri potest. *l. 2. De offic. Procons.*

Not. 4. quod Parochus non possit quemlibet pro suo Capellano seu Cooperatore suscipere, cui deleget suam Jurisdictionem, nisi fuerit Sacerdos quoad curam animarum approbatus ab Episcopo. Quia Concilium Trid. generaliter decrevit, *Nulum* posse Confessiones secularium audire, nisi approbatus fuerit. Deinde non satis cautum fuisset incommodis ex abusu Parochorum oves suas ineptis committentium, provenientibus, si facultas judicandi de idoneitate Ministri penes Parochos relicta fuisset,

set, ut rectissimè observat Reverendissimus D. Christoph : Rasler *in tractatu suo de Pœnit. pag. 409* Prætereà non sufficit, quòd suscipiendus in capellanum ab aliquo Episcopo, quocumquedemùm, sit approbatus, sed debet esse approbatus ab Episcopo illius diœcesis, in qua Sacramenta administrabitur quia Concil. *d. s. 23 c. 15.* requirit approbationem ab *Episcopis* in plurali, quo numero utiq; utitur ex supposito, quòd aliquem contingat ad diversas diœceses venire: tùm etiam quia in diversis diœcesibus diversi populi, diversi mores & ritus sunt, ut propterea meritò specialiter inquirendum an talis Persona aliunde adveniens pro tali loco idonea sit.

Sed quid si Parochus de facto aliquem capellanum non approbatum ab Episcopo tenuerit, anne validè absolvet? R. si communi hominum existimatione reputetur pro Legitimo Capellano, ejus jurisdicctio à jure pro-

pter communem hominum errorem
(qui non debent in re tam gravi deci-
pi) supplebitur, & consequenter v2-
lidè absolvet. *arg. l. Barbarius. De*
offic. Præf. Non ignoro quod Innoc. in
c. cùm dilecta 22. De rescript. n. 1. vi-
deatur tenere, illam Leg. Barbarius.
non habere locum in delegato (qua-
lis etiam est Capellanus) sed tantum
in Ordinario, eò quòd ratio publicæ
utilitatis potissimum tantum in Or-
dinario Iudice locum habeat. Verùm
quidquid sit de hac opinione Inno-
centij, quam impugnat Sanch. *de*
Matrim. lib. 3. disp. 22. n. 16. nixus
authoritate tex. c. 1. §. verumtamen.
3. q. 7. Ego in nostro proposito dico, nō
agi de delegato ad unam particula-
rem causam, de quo Innoc. loquitur,
sed agi de Capellano, qui semper loco
Parochi Jurisdictionem exercet, &
proinde delegatus ad universitatem
causarum mandatam potius habens
Jurisdictionem censeri debet, qualem

delegatum habere jurisdictionem ordinariam, & plerumq; ordinarij nomine venire testatur And. Gail. *lib. Obs 97. n. 12.* Maximè verò illa ratio publicæ utilitatis, ob quam in ordinario propter communem errorem suppletur jurisdictio, deduci potest ad delegatum ad universitatē causarum quia & iste non tantum uni uel alteri sed multis, imò omnibus in illo genere causarum, ad quod delegatus est comprehensus, jus dicere necesse habet. Docet tamen Barb. *De officio Parochi p. 2. c. 19. sub. n. 38. in nova edit.* quod ad tempus aliquod, v. g. in quadragessimâ possit sibi Parochus vel Curatus ad excipiendas confessiones aliquem Religiosum vel alium sine cuiuscunq; Superioris licentia assumere cum Sacerdos ritè ordinatus jam habeat potestatem absolvendi, sed ratiōn materia scil. populus deficiat quam ipsi tribuit Parochus. Atque hanc sententiam potius ex consuetudine

dine & licentiâ Episcopi per quamdam Epikiam propter brevitatē temporis præsumptâ admiserim, quam ex illâ ratione assignata, quæ stante Concilio Trid. prohibente absolutio- nem à Sacerdote non approbato fac- tam procedere haud potest, aliàs pro- baret generaliter, quòd Parochus in- distinctè quemcunq; sacerdotem pro- suo Capellano suscipere posset, con- trà ea, quæ paulò antè dicta sunt.

Not. s. quòd Sacramentum Pœ- 8.
nitentiæ, præter eos, qui perpetuum
domicilium in Parochia habent pos-
sit etiam Parochus administrare illis,
qui quasi domicilium ibidem obti-
nent, hoc est, qui maiori saltem anni
parte in parochia vel de facto man-
serunt, vel manere intendunt, ut Scho-
lares, famuli, &c. Quinimo etiam
plane advenas & peregrinos nec ve-
rum nec quasi domicilium habentes
ex tacitâ voluntate Ordinariorum per
consuetudinem confirmatâ à quolibet

Exposito sacerdote Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta percipere posse etiam tempore paschali, si ad propriam Parochiam facile accedere non possint, ex communi sententiâ & praxi docet Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 9.

Not. 6. quòd Parochus teneatur toties administrare Sacramentum pœnitentiæ suis Parochianis, quoties ipsi justam confitendi causam habent, ac opportuno tempore & loco petunt, cum enim homines frequenter in peccata mortalia labantur, & propterea periculo aeternæ damnationis sint expositi, utiq; Parochus ratione pastoralis officij tenetur quandocunq; potest & ipsi petunt, eos ex tanto periculo eripere, & ipsorum spiritualem profectum omni meliori modo promoveri. Navar. in Man. cap. 25. n. 131.

10. Quòd si Parochus non velit per se confessionem excipere, vel pœnitens desideret alteri confiteri, non debet Parochus in concedenda licentia difficultas esse.

esse, ne conscientia suorum subditorum
laqueum iniiciat. quia experientia
constat, quod multi confitendo pro-
prio Parocho peccata sua non inte-
grè & sincerè exponant: imò non-
nulli malint sine pœnitentia decedere,
quàm proprio Parocho confiteri, ut
ex S. Thoma notavit Sylv. *verb. con-
fessor. 1. n. 13.*

Not. 7. quod in casibus Papæ ^{IR}
vel Episcopo reservatis Parochus sine
speciali licentiâ nullam jurisdic-
tionem habeat, sed afferentem peccata
reservata & non reservata, à non re-
servatis absolvere, cum reservatis au-
tem ad superiorem remittere debeat.
Porro cum circa casus reservatos mul-
tæ quotidianæ difficultates occurrant,
ideò præcipuas earum breviter
hîc subnotabo.

OS [o] OS



E S

S. Uni-

§. Unicus.

De Casibus reservatis,

Quær. 1. utrum Parochus nullo casu
 12 absolvere possit à reservatis? R. in
 articulo mortis nullum casum esse re-
 servatum, *sed omnes sacerdotes* (quod
 DD. etiam ad excommunicatos, sus-
 pensos, irregulares, degradatos, Schis-
 maticos & hæreticos extendunt, apud
 Barb. in *Collect ad cap. 7. Trid. S. 14. De*
Sacram. Pœnit. n. 13.) quoslibet poe-
 nitentes à quibusvis peccatis & cen-
 suris absolvere possunt Ecclesiâ ex sin-
 gulari pietate & benignitate tunc
 conferente Jurisdictionem *jux Trid.*
d. cap. 7. s. 14. dicitur autem *mortis*
articulus non tantum quando poe-
 nitens jam agonizat, sed tamen si vixat
 & vivere possit, est tamen ex veris-
 simili medicorum aut prudentum vi-
 rorum judicio in propinquo mortis
 periculo. veluti si peste infectus sit
 in ipso conflictu bellico aut periculo

Na

naufragij constitutus, &c. *Barb. d. c. 7. n. 11.*

Quær. 2. Vtrum in periculo mortis à casu reservato absolutus, si reconva-¹³lescat, teneatur se præsentare Superiori, & novam absolutionem petere? R. esse distinguendum, an casus fuerit simpliciter reservatus, vel an fuerit reservatus propter censuram annexam? si fuerit simpliciter reservatus, non erit opus novâ absolutione, quia præcedens absolutio in articulo mortis data ex commissione Ecclesiæ fuit vera absolutio, ac proinde omnes absolutionis effectus operata est. *cc apud Barb. d. c. 7. n. 16.* si autem quis in articulo mortis à Censurâ sive à Jure sive ab homine lata absolutus fuerit, is cessante periculo Superiorem adire debet, ut ejus mandatum de satisfaciendo suscipiat aliàs in censurâ reincidet ipso jure. *c. eos qui. 22. Desent. excom. in 6.*

Quær. 3 quid si pœnitens nulla ratione persuaderi possit, ut Superiorem accedat,

cedat, quin potius ob animi duritiam dilaturus Confessionem, aut etiam in omnem peccandi licentiam sese effusus sit, maximè si rationabilem recusandi causam habeat, quia scilicet prudenter timet damnum aliquod extrinsecum, v. g. Sigilli violationem, odium superioris, aut ne is scientiâ ex Confessione ad externam gubernationem utatur? R. tali casu debere Parochum à Superiore licentiam absolvendi petere (cautè tamen & in genere, ad aliquem casum reservatum nisi Persona poenitentis innotescat) atque ad eam præstandam Superiorem teneri & obligari, ne reservatio casuum quæ ad salutem animarum & edificationem concessa est, ad ruinam & destructionem tendat. *Reverendissimus D. Christoph. Rasler in tract. de Poenit. c. 7. §. 35.*

15 Quær. 4. an Parochus, qui licentiam absolvendi à reservatis non habet, possit poenitentem mittere ad alium Parochum

Parochum vel Religiosum, qui eam
licentiam obtinet? Sanè pro Negati-
vâ facit, quòd Concil. Trid. *d. c. 7. s. 14.*
velit pœnitentem non ad alium,
quàm ad Superiorem remitti, ne alias
reservatio Episcopi facilè eludatur.
Item quòd Parochus alteri Jurisdictio-
nem in suum subditum delegare non
possit in tali materia, in qua ipse ean-
dem non habet, cum nemo plus Juris
in alium transferre possit, quàm ipse
habeat. *c. nemo 79. De R. I. in 6. &*
delegatus non ex propria, sed ex Juris-
dictione delegantis judicet. arg. c. sa-
nè. 11. De offic. deleg. Verùm Ego
quidèm non dubito, quin pœnitens
moneri debeat, ut Episcopum pro ab-
solute accedat, quod si autem dif-
ficulter persuaderi possit, vel justam
recusandi causam habeat, planè exi-
stimo, quòd ad alium habentem li-
centiam absolvendi à casibus reser-
vatis rectè dimittatur. neque pro-
pterea eluditur decretum Concilij re-
servatio

servatio Episcopi, quia in talibus cir-
 cumstantijs etiam ipsum Episcopum,
 teneri ad præstandam licentiam alteri
 jam supra dictum est. Illud verò vi-
 detur habere aliquam difficultatem,
 quo Iure ab alio quàm proprio Paro-
 cho vel Episcopo talis Poenitens absol-
 vatur? Non enim *ordinario*, quia sub-
 ditus non est: neque etiam *delegato*,
 quia à proprio Parocho Iurisdictionis cir-
 ca casum reservatum delegari non
 potuit, ut dictum. Sed R. hanc Iu-
 risdictionem ex qua Confessarius alie-
 num Parochianum ad se venientem
 cum licentiâ proprij Parochi absol-
 vit, non esse *delegatam* sed *prorogatam*
 & consequenter *ordinariam*. hæc enim
 est differentia inter Iurisdictionem
delegatam & *prorogatam*, quòd *delega-*
tam habens præcisè ex Iure delegantis
 16 iudicet, *prorogatam* autem habens iu-
 dicet ex propriâ, quia non confertur
 ipsi nova Iurisdictionis ab alio, sed tan-
 tum alienus subditus sese ipsius Iuris-
 dictio-

ditioni subijcit. *l. 1. & 2. ff. De Iudicijs.* Dices, quomodo digosci poterit *delegatane* sit Jurisdictione an *prorogata*? R. tunc censendam esse *delegatam* Jurisdictionem, si commissio dirigatur ad ipsum absolventem novam ipsi Jurisdictionem conferendo, *prorogata* verò tunc, si ipsi subdito tantum detur licentia, ut alteri, qui aliunde jam Jurisdictionem habet, se subijciat. *c. significasti 18. De foro compet.* Porro licet in causis spiritualibus & circa forum internum *prorogatio* Jurisdictionis sine consensu proprii ordinarij invalida sit, quia ubi de bono animæ agitur proprius Superior cognoscere debet, qui pro ea est rationem redditurus. *Barb. in d. c. significasti. sub n. 8.* attamen quòd cum licentiâ proprii superioris maximè subexistente justâ causâ *prorogatio* rectè fiat satis exploratum est. haud enim assignari potest diversitatis ratio, cur proprius superior possit alteri suam Jurisdictionem

nem

nem in suum subditum delegare, & cur non etiam possit ipsi subdito licentia dare, ut se alterius Iurisdictioni subijciat.

18 Quær. 5. quid statuendum si habens casus reservatos sit ex alienâ diœcesi, & tantum per accidens hic & nunc commoretur ad tempus in illa ubi confitetur, v. g. peregrinationis aut certi alicuius negotij expediendi causâ, &c.

Duos casus in proposito distinguit DD. primus est utrum talis poenitens confiteatur casum, qui non sit quidem reservatus in sua, sit tamen reservatus in Confessarij diœcesi? Secundus, an casus sit reservatus in diœcesi Poenitentis, non verò in diœcesi Confessarij? utrumque casum ex eodem principio resolvunt, videl. quòd attendendæ sint leges loci ubi Confessio fit, quia Iurisdiction & Iudicium regulatur secundum leges loci, in quo exercetur, proindè in primo casu putant poenitentem absolvi non posse, secus verò

verò in secundo *Laym. de Sacram.*
Pœnit. cap. 10. n. 10 cum cc. ibidem.

Verùm Ego circa resolutionem
primi Casus planè subsisto; Nam quæ-
ro, quando Casus pœnitentis non est
reservatus in propria Diœcesi ipsius,
an debeat remitti ad Episcopum pro-
prium, vel ad Episcopum loci ubi con-
fiteatur? non ad proprium, quia ille ca-
sum sibi non reservavit, non etiam ad
Episcopum loci ubi confiteatur, quia
non est ipsius subditus & reservationes
casuum tantùm intelliguntur circa
subditos. *tex in d. c. 7. Trid. s. 14. De*
Sacr. Pœnit. sunt enim introductæ, ut
quilibet Episcopus suos non alienos
subditos in officio contineat: maximè
verò si casus reservatus in aliena Diœ-
cesi patratu sit, sicut *in c. 2. De con-*
stit in 6. expresse dicitur, quòd excom-
municatio Episcopi extra suum terri-
toriũ locum non habeat licet subditus
ipsius Episcopi (quantò magis nõ sub-
ditus) peccatum illud, propter quod
excom-

excommunicatio lata est, extrà territorium Episcopi perpetraverit.

19 Alterius quoq; Casus resolutio propterea non caret scrupulo, cum non sit absolutè verum, quòd semper Iurisdicctio secundum leges loci exerceatur. Ecce si quis in Vngaria habitans, ubi Concil. Trid. receptum non est, contraxerit Matrimonium sine Parocho & testibus, & alibi super hoc Matrimonio disputetur ubi Concilium receptum est, id non secundum leges loci, ubi disputatur, sed ubi contractum fuit iudicari debet. *arg. l. si. fundus 6. de evict. l. 1. C. de emancip. lib. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 18. n. 27.* similiter si testamentum fiat secundum particulares consuetudines alicuius provinciae, id in toto mundo validum reputari debet & secundum illas consuetudines iudicari. *l. 2. C. quemad. testam. aper. Gail lib. 2. obs. 123.* & propius ad nostrum propositum, excommunicatus ab uno Iudice, debet etiam

ab alio tanquam excommunicatus haberi. *c. 3. de offic. Iud. ordin.* Interim tamē quia prædicta resolutio favet Conscientiæ, non libenter eandem expugno, & pro ejusdem probabilitate, illud saltem dici posse existimo, nimirum, secundum leges loci judicandum esse, quoties non de substantia controversiæ, sed de solennitate extrinsecâ iudiciorum & competentia Jurisdictionis quæstio incidit. Sic in Austria restitutio in integrum contra sententiam, Iudicis apud Imperatorem petitur: quid ergò si Austriacus extra Austriam litigans condemnetur & restitutionē petat, non erit ad Imperatorem remittendus, sed secundum leges loci ex justâ causa ab ipso Iudice condemnate in integrum restituendus. *jux. l. 3. C. ubi & apud quem restit. &c.* Instantiâ de excommunicato ideo non videtur urgere, quia excommunicationis natura est, quòd non tantum à Communionē fidelium unius loci, sed totius Ecclesiæ excludat. Quar. 6.

Quær. 6. Vtrum reservatio Casuum
 20 duret etiam post mortem Episcopi, &
 sede Episcopali vacante? Rz. si reser-
 vatio sit facta à Synodo Provinciali
 vel Diæcesanâ per modum Statuti per-
 petui, tunc durabit etiam post mortem
 Episcopi *arg. c. fin ubi gl v. Statuta.*
De offic. leg. & habens casum reserva-
tum sede vacante mittendus erit ad Vi-
carium Capituli. Qui tamen à de-
functo Episcopo habuisset licentiam
absolvendi à casibus reservatis, is ean-
dem (nisi tempus, ad quod licentia
restricta est, jam effluxisset) etiam se-
de vacante exercere posset, quia gra-
tia non expirant morte concedentis.
v. si cui. de præb. in. 6. Sanch. de ma-
trim. lib. 8. disp. 28. n. 72. Sin autem
 non constet de tali Statuto perpetuo,
 sed Episcopus defunctus proprio mo-
 tu sibi reservaverit casus aliquos (quod
 videtur in dubio præsumi posse, quan-
 do nulla extant statuta synodalia, qua
 cõmuniter solent typis imprimi) tunc
 hæc

hæc reservatio unà cum Persona Episcopi expirasse censetur & sede vacante quilibet Confessarius absolvere poterit. *Zerola in Praxi Episc p. 1. v. casus reservati. n. 4. Emã. Sa. v. absolutio n. 20.*

*Specialia quædam notanda
circa casus Papales.*

1. **N**ullus casus est Papæ reservatus 21
nisi qui simul habeat annexam
censuram excommunicationis. *Nav. in
Man. c. 27. n. 101.* ideò 2. si Pœnitens
propter aliquas circumstantias possit
excusari, quòd censuram non incur-
rerit, quamvis casum illum reserva-
tum perpetraverit, non est mitten-
dus ad Papam, sed à Parocho vel alio
Confessario absolvi poterit, quia, ut
dictum, nullus Casus est Papæ refer-
vatus, nisi qui excommunicationem
secum trahat.

3. Cum nulla excommunicatio vel 22
Censura incurratur nisi propter pecca-
tum mortale, ideò quotiescunq̃ ali-
quis

quis casum reservatum sine peccato mortali perpetravit, puta ob ignorantiam invincibilem, inadvertentiam non sufficientem deliberationem, parvitatem materiæ, &c. toties etiam censura, & consequenter à reservatione excusabitur. *Cov. in relect. c. alma mater de sent. excom. in 6. §. 9. n. 1.*

4. Favore Conscientiæ quorundam est opinio non affici aliquē censurâ Ecclesiasticâ, non tantum si ex probabili & tolerabili ignorantia nesciat actum quem agit esse prohibitum, sed etiam si sciat esse prohibitum, ignoret autem esse censurâ annexam, sicut hujusmodi probabilis & tolerabilis ignorantia datur in constitutionibus & canonibus, non ita per locorum Ordinarios publicatis, maximè circa foeminas rusticos, milites, pupillos & minorenes, utpote qui aliàs per Juris ignorantiam excusantur *l. cum de indebito. 25. §. 1. de probat.* quâ sententiam tenet Ang. *in v. excommunicatio 7. cas. ult. & vi.*

videtur probare *Sylv. in v. ignorantia,*
§. 8. Non obest, quod rusticus v. g.
grave delictum perpetrans ultimo
supplicio afficiatur quamvis ignoret,
tam gravẽ pœnam delicto esse præ-
fixam. sicut in contrarium argumen-
atur *Cov. in d. c. alma mater §. 10 n. 9.*
Nam imprimis vel delinquens scit,
actum quem agit esse prohibitum, vel
ignorat: si scit, vix potest contingere,
ut ignorantia pœnæ non sit nimis
crassa & affectata, siquidem pœnæ
publicè & toto mundo inspectante
soleant infligi: si ignoret, actum quem
agit esse prohibitum, eiusq; ignorantia
probabilis fuerit, falsum est supposi-
tum, quòd pœna præsertim ultimi sup-
plicij rectè plectatur. Deindè quidquid
sit in alijs causis, diversa est ratio in
Censuris, quæ sine contumacia & sal-
tem interpretativo contemptu ipsa-
rum censurarum non incurruntur,
contumacia autem quod in igno-
rante

rante non detur per se clarum est, & te
 etiam advertit Cov. d. §. 10. n. 7. opti. e. 2
 mus tex. in. c. 2. de Constit in 6. ficu

24. 5. Circa excommunicationes, quae Pap
 ipso Iure inferuntur, etiam ad Consue. vat
 tudines locorum attendendum erit, non
 quia multae excommunicationes, quas ann
 Authores longa serie recensent, in Auc
 Germania receptae non sunt, vel certe Mag
 contrario usu abrogatae sunt. teste illar
 Henric. Magnigart. in suis parvis reso. mul
 25. *lut. Moral. cap. 5. §. 9.* quòd autem dit in
 lex non recepta non liget, communi an id
 ter sentiunt DD. *per tex in c. in istis relin*
§. leges. dist 4. Nav. in Man. c. 23. posit
n. 41. Menoch. lib 2 praesumpt. 2. & habe
 quòd lex etiam recepta per contraria confe
 consuetudinem tolli possit, constat ex praed
 c. *fin. de Consuet. & pluribus alijs locis non*
 quae sanè Consuetudo vel exindera- rum
 tionabilis est, ne ob multitudinem libi po
 censurarum fideles periculum anima- rit pr
 rum suarum incurrant, & nervum Eccl. 90.
 clesticæ disciplinae contempnant. arg. Boen
 tex

t, & *te in Trid. s. 25. de reform. c. 3. & in*
opti. e. 2. de Constit. in 6. Specialis est dif-
 ficultas, quid censendum sit de casibus
 quæ Papalibus in *Bulla Cene Domini* refer-
 vatis, anne etiam illa Bulla possit dici
 non esse recepta, cum tamen singulis
 annis rigorosè Romæ promulgetur? 26;
 in *Audivi à viris fide dignis, quòd aliqui*
certè Magni Principes Germaniæ nō sint passi
teste illam Bullam in suis territorijs pro-
refo. mulgari, fortè quia plurimùm defen-
item dit immunitatem Ecclesiasticam: Sed
uni. an id Jure fecerint, alijs disputandum
istis. relinquo. Interim ad nostrum pro-
 positum dicendum videtur, subditos
 & habere justam ignorantia causam, &
 rarà consequenter non incurrere Censuras
 at ex prædictæ Bullæ, si in aliqua Diacesi
 loci non promulgentur. *tex notab. in c.*
dera. rum infirmitas. 13. De Pœnit. & remiss.
tem. bi post quàm per Prelatos locorum fue-
ima. rit publicata, & c. & tenet Cajet. in 1. 2.
n Ec. 90. art. 4 ac in specie quòd Bulla
 Boenæ non recepta non liget, asserit.

- Nav. *Consil. r. de const. n. 74. in sum-*
marijs. Paul. Laym. De excom. c. 5. s. 1.
n. 2. ubi refert Becanum idem sentiens
 quidquid fortè sit de alijs causis civili-
 bus & Judicialibus, quæ periculum
 animarum non ita imediatè tangunt
 in quibus ex stilo Curia omnes c. ipse
 Romæ tantùm promulgatæ ho. Bal-
 etiã in partibus obligant. *Chokier De*
Jurisdic. ord. in exempt. p. 1. q. 50. an. 3.
- 28 6. Nulla excommunicatio vel ca-
 sus reservatus incurritur propter ac-
 tum merè internum, v. g. peccatũ co-
 gitationis, hæresim mentalè &c. qui
 Ecclesia non judicat de internis & oc-
 cultis, sed requiritur actus externus
 verbo vel opere externo demonstra-
 tus, & quidem consummatus, unde
 v. g. reservatus sit incoestus, requiritur
 perfecta copula, & non sufficet tan-
 tùm attentata. *Laym. in Theo. m. 2.*
lib. 5. tract. 6. c. 12. sub. n. 3.
- 29 7. Qui casum Papalem habent
 Episcopo absolvi possunt, si sint e-

conditionis, quòd Romam venire sine magna difficultate nō possint, uti sunt foeminae, pueri, filijfam. in potestate patria constituti, senes, infirmi, habentes inimicitias capitales, aut aliud justum impedimentum, propter quod tale iter suscipere nequeant, ita tamen, ut hi qui impedimento temporali laborant (exceptis pueris, qui etiam post pubertatem ab Episcopo absolvuntur, cum propter puerilem ætatem, in qua delictum admiserunt, veniam mereantur) cessante impedimento debeant ad sedem Apost: accedere. Item magni & potentes Domini absolvuntur quidem in partibus, sed S. Pont. prius debet de statu Personæ & qualitate causæ certiorari, ut absolutio secundum ipsius mandatum impendatur. *vid. tex. inc. mulieres 6. c. de cætero 11. c. quamvis. 58. & c. fin. De sent. excom.*

8. Demum hodie plerumque non 30 est necessè pœnitentem cum casu Pa-

pali Romam mittere, quia Legati aut
 Nuncij Apostolici in partibus existen-
 tes, vel etiam diversorum Ordinū Re-
 ligiosi præsertim Mendicantium po-
 testatem & privilegium habent à ca-
 sibus S. Pontifici reservatis absolvendi.
 Sed de huiusmodi Specialibus Privile-
 gijs illi ipsi Religiosi consulendi erunt.
 nam S. Congreg. Episcop. & Regul.
 de Mandato Clem. VIII. die 9. Mensis
 Jan. Anni 1601. resolvit, quòd qui-
 cunq; Regulares cujusvis Ordinis
 Congregationis, Societatis & Instituti
 tam intra quàm extra Italiam vir-
 tute privilegiorum suorum quorum-
 cunq; non possint absolvere à casibus
 in Bulla Coenæ vel Episcopis re-
 servatis. prout hanc resolutionem
 terminis refert Quaranta in *Summa*
Bull. verb. Casus reservati. n. 13. & c.
 Aldan. allegat Barb. in *Collect. ad. c. 1.*
Trid. s. 14. De Sacram. Pœnit. n. 2.
 ubi ponit hanc resolutionem esse datam
 17. Nov. 1628. quod fortè de renov-

utione intelligendum est, quia *Data* apud Quarant, d. l. est antiquior.

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA.

1. Eucharistia danda est quoties rationabiliter petitur.
2. Videtur verius quod etiam quotidie, ceteris paribus peti possit.
3. Fallit in conjugatis.
4. Eucharistia quandocunque petitur ad egrotum deferenda est reverenter cum comite & lumine.
5. Ad sumptionem Eucharistia requiritur dispositio animæ, & corporis.
6. Habens casum reservatum aliquando ante absolutionem communicare potest.
7. Non habentes usum rationis non sunt ad communionem admittendi.
8. Communicaturus qualiter debeat esse jejunus.
9. Ad egrotum non debet Eucharistia

- stia deferri causa solius adorationi
si eam sumere non possit.*
10. *Extra tempus paschale quilibet Sa-
cerdos potest quoscunque commun-
icare.*
11. *Eucharistia honorificè asservanda
est.*
12. *Quis teneatur ad conservationem
Lampadis ardentis ante SS. Eu-
charistiam.*

Circà administrationem hujus Sa-
cramenti

- I** Not. 1. quòd Parochus regulari-
ter teneatur dare SS. Eucharistiam
quoties pij subditi eam rationabiliter
petunt, ne parvuli petant panem, &
non sit qui frangat eis. Sed quaestio
nis est, an censeatur rationabiliter pe-
tere, qui singulis aut ferè singulis die-
bus peteret? Sanè priscis temporibus
peracta consecratione in Missa omnes
adstantes sumebant Eucharistiã, *Hu-
tado de Sacr. tom. 2. tract. de Euchar.
disp. 9. diffic. 22. vers. recentiores &c.*

in Concil. Trid. s. 22. de Sacrif. Missæ
 c. 6. hæc verba leguntur: optaret Sancta
 synodus, ut in singulis Missis fideles ad-
 stantes, non solum spirituali affectu, sed
 Sacramentali etiam Eucharistia per-
 ceptione communicarent, quò ad eos
 sanctissimi huius Sacrificij fructus u-
 berior perveniret &c. Quopropter
 quidquid aliqui contradicant, ego
 credo omninò dandam esse Eucharis-
 tiam etiam quotidie petenti, si ex or-
 dinaria ejus vitæ conversatione col-
 ligi posset, quòd non ad vanam glo-
 riam captandam aut cum periculo ir-
 reverentiæ accederet; prout per plu-
 ra argumenta, & declarationem Car-
 dinalium concludit Joannes Sanchez
in select. disp. 22. In conjugatis qui-
 dem personis qui carnali commercio
 inserviunt, non immeritò hæc quoti-
 diana communio denegatur, illo ma-
 ximè die, in cujus nocte præcedente
 copulâ conjugali usi sunt, ad majo-
 rem tanti Sacramenti reverentiam.

servandam, & distractionem mentis
 evitandam juxta illud Reg. 1. c. 21.
non habeo laicos panes ad manum, sed
tantum panem Sanctum, si mundi sum,
pueri maxime à mulieribus mandu-
cent, &c. & juxta monitum Apostoli
 qui vult conjugatos abstinere ad tem-
 pus, ut vacent orationi.

¶ Not. 2. quòd in casu necessitatis
 videlicet instantis mortis reneatur.
 Parochus non tantum de die sed etiam
 de nocte, instantibus quoque pluvij
 SS. Eucharistiam ad ægrotum defer-
 re, quia salus alterius spiritualis uti-
 que commoditati exiguae corporali
 anteponenda est. quo verò ritu san-
 ctissima Hostia deferenda sit, ex con-
 suetudine singulorum locorum desum-
 mendum erit, eo semper observato,
 ut tanta, quanta potest, sanctissimo Sa-
 cramento reverentia exhibeatur. Vnde
 de ille abusus vel maxime tollendus
 est, quòd aliqui Eucharistiam quando-
 que sine lumine, & comite deferunt.

quod

quod graviter prohibitum est *in c. sane*,
1. de celeb. Mis.

Not. 3. quòd Sacramentum Eu-
charistiæ non debeat ministrari, nisi
ijs, qui in *animâ & corpore* ad id dignè
recipiendum dispositi sunt. In anima
dispositio requiritur, ut nullus ad com-
municandum accedat, qui sibi conscius
est alicujus peccati mortalis nisi con-
fessione Sacramentali præmissâ. *Trid.*
s. 13. de Sacram. Euchar. c. 7. quòd
si tamen soli Parocho ex confessione
notum esset aliquem indignè & nō ob-
tentâ absolutione ad communionem
accedere eum alijs, ei Eucharistiam
denegare non deberet, ne apud alios
infamare, & sigillum confessionis pro-
dere videatur. Sed quid si pœnitens qui
commisit casum reservatum habeat
necessitatem comunicandi, v. g. tem-
pore Paschali, ita ut sine diffamatio-
nis periculo non possit superiorem a-
dire & interim à communicatione ab-
stinere? R. quòd tali casu censeatur

F 5

circa

circa casus reservados deficere copia
 confessoris & ideò possit is, qui casus
 reservados habet obtentâ absolutionem
 à non reservatis, & præmissâ contri-
 tione circa reservados ad communio-
 nem accedere, ita tamen ut deinde
 quàm primùm commodè potest, re-
 servatos confiteatur. *arg. tex. in d. c. 1.*
Trid. s. 13. ibi. modò non desit illis copia
confessoris &c. Eman Sa. v. Eucharistia
n. 13. Castro Palao. de Sacr. Pœnit. sect.
15. §. 4. n. 3 Præterea comunicaturus de-
 bet habere usum rationis, ut ea, quæ ad
 7 perceptionem hujus Sacramenti per-
 tinent juxtâ arbitrium prudentis con-
 fessorij sufficienter intelligat. Unde
 infantes intra septennium constituti
 vel continuò amentes non habentes
 dilucida intervalla regulariter ad
 communionem etiam in mortis arti-
 culo admittendi non sunt.

8 In corpore requiritur dispositio
 quòd comunicaturus sit jejunus à me-
 diâ nocte diei præcedentis jejunio na-

turali

turali, id est, quòd nihil omninò priùs quamvis minimū per modum cibi deglutiverit, idque propter reverentiam tanto Sacramento debitam, ut corpus Christi ante omnem cibum in corpus Christiani intret. *c. liquido. 54. dist. 2. de consec. c. nihil 7. q. 1.* Dico per modum cibi, nam si quis sanguinè aliumvè humorè ex capite descendente, aut inter eluendū os cum salivâ deglutiat aquæ guttulas, vel si pusculū gustavit, & illicò reiecit, etsi fortè guttas cum salivâ deglutierit, non censetur ieiuniū naturale violasse. *vid Laym l. 5. tract. 4 c. 6. n. 18.* porrò istud ieiunium in illis tantūm requiritur, qui sani extra periculum mortis constituti communicare desiderant. at verò quibus periculū mortis instat etiam non ieiunī & quidem sæpiùs durante eodem periculo morbi (uno tamen vel altero die interiecto) sacram communionem accipere possunt, cum enim ieiunium tantūm sit de de præcepto Ecclesiæ,

F 6

noluit

noluit pia mater illum casum extreme necessitatis, in quo maxime hoc sanctissimo Viatico indigent fideles, comprehendere. Deinde requiritur quod recepturus SS. Eucharistiam ita sit dispositus quoad sanitatem, ut v. g. propter expuitionem seu eructationem nullum sit periculum irreverentiae. quod si dubitetur an infirmus sit retenturus sacram Hostiam vel potius iterum eiecturus, nonnulli consilium tradunt, ut prius cum Hostia non consecrata experimentum fiat, praemonendo tamen infirmum, quod Hostia non consecrata sit, ne eam erroneè adoret. Illud etiam notatu dignum est, quod Eucharistia ad aegrotum dari non debeat causa solius adorationis, si eam sumere non possit: sicut a Sac. Congreg. Card. declaratum refert Zerola in praxi Episc. p. 1. v. Eucharistia. §. 5. neque posse dari hoc Sacramentum sub specie vini, si aegrotus non possit accipere sub specie panis tradit

tradit ex Suarez, tom. 3. disp. 71. s. 7.

Barb. de off. Par. p. 2. c. 20. n. 44.

Not. 4. quod (extra casum extre-
mæ necessitatis) non liceat alijs quàm
proprio Parocho vel delegato ab eo
Sacramentum Eucharistiæ Parochia-
nis ministrare, imò in Clem. 1. de pri-
vileg. excommunicationem Papæ re-
servatam incurrere dicuntur religiosi,
qui sine speciali licentia Parochi ali-
quibus Sacramentum Eucharistiæ mi-
nistrant. At tamen post hanc Clemen-
tinam per varia privilegia Regulariū
& diversorum locorum consuetudi-
nes obtentum est, quòd in Ecclesijs
præsertim Religiosorum Sac. com-
munio liberè quibusvis petentibus di-
stribuatur. Et plurimi statutum dictæ 10
Clementinæ tantum de tempore Pas-
chali intelligunt, quia in c. omnis. 12.
de pœnit. & remis. videtur injungi,
ut tempore Paschali tam confessio,
quàm communio apud proprium
Parochum fiat. Ceterum autem si a-

liquis extra tempus Paschale ex causa devotionis communicare velit, id apud quemlibet sacerdotem posse cum multis DD. tradit Barb. *in collect. DD. ad c. 6. Trid. s. 22. de sacrif. Mis. in fin.* quòd satis probatur *ex eodem c. 6.* dum enim ibidem optat Sac. synodus ut fideles adstantes in singulis Missis communicent, videtur planè licentiam dare, ut singuli presbyteri Missas celebrantes quoscunq̄e petentes communicare valeant.

II Not. 5. quòd ad officium Parochi pertineat, ut SS. Eucharistiam in loco decenti, mundo, & honorifico diligenter asservet, & frequenter saltè singulis septimanis semel antiquas species, ne corrumpantur, sumat & novas consecret. Paul. Fuscus *de visit. lib. 1. c. 5. n. 3.* Item ex generali consuetudine Ecclesiæ Lampas continuo diu noctuq; ante ven: Sacramentum ardere debet tum propter ejus reverentiam, tum etiam ut ingredientes Ecclesiam sciant

ubi primùm præsentiam Salvatoris
nostri adorare debeant.

Sed quis tenebitur ad præstationem
olei & conservationem talis lampa-
dis? R2, quòd si consuetudo sit in ali-
quo loco, ut Parochiani ad conserva-
tionem Lampadis certas oblationes
facere soleant, illa omninò observan-
da erit: Sin autem consuetudo legiti-
mè probari nō possit, puto hanc quæ-
stionem decidi posse, ex ijs quæ tum in
Jure Communi *in tit. de Eccles. adif.
& repar.* tum in concilio Trid. *s. 21.
de ref. c. 7.* generaliter de conserva-
tione & reparatione Ecclesiarum con-
stituta sunt, ut nimirum conservatio
Ecclesiæ, primò desumatur ex fructi-
bus & proventibus quibuscunque ad
easdem Ecclesias quomodocunque
pertinentibus, qui si non fuerint suffi-
cientes, tunc omnes Patroni, & alij qui
fructus aliquos ex Ecclesia provenien-
tes percipiunt, aut in illorum defectū
omnes Parochiani opportunis Juris
reme-

remedijs cogatur quàmvis autē hęc constitutiones in specie de conservatione lampadis non loquantur, quia tamen loquuntur generaliter de *instauratiōe* Ecclesiæ, utique de omnibus, quæ in Ecclesia necessaria sunt, intelligendæ erunt. *nam quoties lege aliquid introductum est, bona occasio est, cetera, que tendunt ad eandem utilitatem vel interpretatione, vel Iurisdictione supplere* inquit JC. in *l. nam ut ait 13. ff. de LL.*

CAPUT IV.

De Extremâ Unctione.

1. *Extrema unctio qualiter conferatur, & quis eius effectus.*
 2. *Ungendus debet esse capax peccati.*
 3. *Extrema unctio non datur, quando mors imminet ab extrinsecâ violentia.*
 4. *Quomodo conferenda sit extrema unctio, quando periculum in mora est.*
5. *Ungen.*

5. *Ungendus debet esse saltem attritus.*
6. *Sitne danda unctio illi, de cuius peccato constat, sed non constat de pœnitentiâ.*
7. *Extrema unctio est reiterabilis.*
8. *Parochus debet singulis annis novum oleum petere ab Episcopo, nec uti veteri nisi in necessitate.*
9. *Si oleum non sufficiat pro toto anno, potest admisceri non consecratum in minori tamen quantitate.*

Sacramentum Extremæ unctiōis conferri per unctiōem olei, & orationem Sacerdotis, constat ex Epistola Jacobi s. cap. ita enim inquit Apostolus: *infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesie ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei.* per quæ posteriora sancti Jacobi verba, res & effectus huius Sacramenti explicatur (ut advertit Trid. s. 14. de sacr. extr. unct.

unctiores etenim hæc. inquit Conil.
 gratia est Spiritus sancti, cuius unctio
 delicta quæ sint adhuc expianda, ac pec-
 cati reliquias abstergit, & ægroti ani-
 mæ alleviat, & confirmat, magnam in
 eo Divinæ misericordiæ fiduciam exci-
 tando, quâ infirmus sublevatur, &
 morbi incommoda, ac labores leuius
 fert, & tentationibus demonis facilius
 resistit, & sanitatem corporis inter-
 dum, ubi saluti animæ expedierit, con-
 sequitur. Vndè cum tanta sit huius
 Sacramenti utilitas, licet nullum ex-
 tet de eo suscipiendo præceptum, ni-
 hilominus sine peccato saltem venia-
 li, & accedente contemptu etiam
 mortali, intermitti non posse, com-
 munitè notant DD.

- 2 Porro cum hoc Sacramentum ad
 expianda peccata aut peccatorum re-
 liquias institutum sit, debet ungens
 ejus esse ætatis & intellectus, ut pecca-
 tum admittere potuerit, adeoque non
 planè infans, aut totaliter, & conti-
 nuò

nuò amens. Deindè hoc Sacramen-
tum dicitur *Sacramentum infirmorū*:
ac propterea conferendū non est quan-
dò mors imminet à violentiâ extrinse-
câ, puta, suspendio, naufragio &c. post
vulnus tamen acceptum vel venenum
potatum, cum tunc revera aliquis ef-
ficiatur infirmus, rectè conferretur.

Ad modum conferendi hoc Sacra-
mentum pertinet, ut singuli sensus in-
ungantur, & si quis aliquo membro
inungendo careat v. g. manu, aut o-
culo, inungenda sit caro propingua
v. g. brachium vel locus oculorum.
Sed quid si morbus tam periculosus
sit, ut non possit extrema unctio tota
peragi. v. g. si infirmus credatur jam
jam expiraturus, vel tempore pestis
metus contagionis subsit? R. sufficere
si tali casu organum sensus magis ob-
vium inungatur dicendo: *per istam
sanctam unctionem, & piissimam su-
am misericordiam indulgeat tibi domi-
nus, quidquid deliquisti per visum, o-
dora-*

doratum, gustum, tactum & gressum;
 eò quòd non ad substantiam Sacra-
 menti, sed tantum ad pleniorē eius
 perfectionem pertineat singulos sen-
 sus inungere, & verba formalia in
 Rituali Ecclesiastico præscripta profer-
 re. ita tenent cc. apud Barb. *in col-
 lectaneis ad c. 1. Trid. s. 14. de sacr.
 Extr. unct. n. 17.*

5 Ad dispositionē recipientis hoc Sa-
 cramentū spectat, ut saltem per attri-
 tionem de peccatis doleat, ne impo-
 nitens anima ponat obicem virtuti &
 effectui sacramentali; hæc verò at-
 tritio in dubio præsumi potest, tum
 quòd in dubio quilibet præsumatur
 bonus, & de salute suâ curius, tum etiã
 quòd homines in agone constituti me-
 tu mortis & inferni plerumque de om-
 nibus suis peccatis poeniteant.

6 Quid autem faciet sacerdos, si mo-
 ribūdus ab omni sensu alienatus nulla
 signa doloris edere possit, & tamen
 constet, quòd peccatum mortale com-
 misset.

miserit? R: cum Paulo Laym. *De Extrem. unct. c. 4. n. 3.* si publicè constet de peccato, & non constet de pœnitentia nullam, dandam esse unctionem, nisi ex aliquibus conjecturis præsumi possit de dolore v. g. si in duello lethaliter vulneratus dixerit se adversario ignoscere, si post peccatum Ecclesiam frequentaverit, oraverit, &c. *Sylv. v. unctio. q. 5.* si verò peccatum soli Sacerdoti notum sit, & is sine scandalo unctionem negare non possit, debet illam conferre; cum enim moribundus censeatur publicè petere Sacramentum, & Sacerdos fungi publico ministerio, non rectè secundum privatam scientiam procedendo extremam unctionem negaret.

Cæterùm hoc Sacramentum non tantùm semel, sed & sæpiùs eidem homini conferri potest, non quidem durante eodem periculo morbi, sed si aliud novum periculum superveniat, quia videlicet infirmus iudicio medico-

7

dicorum convaluit, & probabile mortis periculum evasit, deinde verò mutatâ corporis constitutione (licet paucarum tantùm hebdomadarum, intervallo) in agonem recidit. Sylv. v. *unctio Extrema. n. 8.*

- 8 Demum adnotandum est Parocho incumbere, ut singulis annis novum oleum ab Episcopo petat, *c. litteris de consecr. dist. 3.* & vetus in lampadibus Ecclesiæ ante SS. Eucharistiam comburat. in casu tamen necessitatis antequàm novum oleum ab Episcopo transmittatur posse Parochum etiam veteri uti, docent *cc. apud Barb. ind. c. 1. Trid. n. 6.* Item si oleum non credatur sufficere pro toto anno, licere Parocho oleum non consecratum admiscere, dummodò in minori quantitate sit, traditur *in c. quòd in dubijs de consec. Eccles. vel alt.*

CAPUT V.

DE MATRIMONIO.

Duo sunt, quæ circa Sacramentum Matrimonij Parochus attendere debet, videlicet, ne aliquos habentes *impedimentum* contrahere patiarur, & deinde, ut in contractu ipso *solenitates* de Jure requisitas faciat adhiberi. Est autem præsciendum quòd *impedimenta* alia sint *impedientia tantum*, ex quibus prohibetur aliquis matrimonium contrahere, alia verò sint *impedientia, & dirimentia*, quæ non tantum matrimonium ab initio prohibent, sed etiam contractum nullum, & invalidum reddunt. Sit proinde huius cap.

§. I.

De Impedimentis impedientibus tantum

1, *Impedimenta impedientia* 4. *hodie usu recepta,*
2, *in-*

2. Interdictum Ecclesie quid?
 3. An pendente lite super sponsalibus Matrimonium cum alio sit nullum.
 4. Sponsalia cum una contracta impediunt matrimonium cum aliâ.
 5. Quenam sint iustæ causæ dissolvendi sponsalia.
 6. Litigantes super sponsalibus debet Parochus ad Consistorium mittere.
 7. Quibus temporibus non liceat solenniter Matrimonium contrahere.
 8. Votum simplex castitatis impedit matrimonium & petitionem debiti.
 9. Post contractum matrimonium in voto simplici castitatis potest dispensare Episcopus.
 10. Votum ingrediendi Religionem, vel Cœlibatus, impedit quidem matrimonium, sed non petitionem debiti.
- ¶ Quatuor hodiè potissimùm impediunt matrimonium: nimirum interdictum Ecclesie, sponsalia cum alio vel aliâ contracta, tempus feriarum & votum simplex castitatis.

stutatis. Sunt quidem etiam alia in Jure expressa, ut incoestus constante matrimonio cum consanguineâ uxoris factus, raptus perpetratus in alterius sponsâ vel conjuge, occisio propriæ uxoris vel Presbyteri. Sponsalia attentata cum moniali &c. attamen eorundem observationem jam pridem in desuetudinem abiisse, vel saltem cum dispensatione Episcopi tolli posse, tradit Navar. in *Man. c. 22. n. 75. & 85.*

I. igitur *interdictum Ecclesie* impedit matrimonium; quia verò omnia reliqua impedimenta possunt ad istud referri, cum ex omnibus ijs ab Ecclesiâ interdicatur matrimonium, ideò specialiter hoc loco interdictum Ecclesie intelligo prohibitionem Episcopi, quæ fit illi, contra quem in iudicio super alijs sponsalibus agitur. Nam si sponsus timeat, ne sponsa pendente lite contrahat de præsentibus cum alio, poterit petere ab Episcopo, ut

G ipsi

ipsi matrimonium cum alio sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda interdicat. *Ioan. Hon. in tit. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesie*, imò non tantum per Episcopum, sed etiam per Parochum posse aliquando ex causa iustâ ad certum tempus impediri matrimonium cum pluribus docet *Sanch. de matrimonio lib. 7. disp. 6. n. 6.* puta, si opponatur matrimonio impedimentum, & timeantur graves rixæ &c.

3 Quæri solet hoc loco, an matrimonium contra interdictum Episcopi celebratum valeat? ex ea dubitandi ratione, quòd matrimonium sit quædam corporis alienatio, juxta illud; *vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier, &c.* omnis autem alienatio litigiosa pendente facta sit nulla, & tanquam attentatum revocari debeat, *c. 3. de lite pend. l. 2. C. de litigiosis*, cui accedit text: *inc. tua. 4. De sponsa ducenda*, ubi datur potestas Episcopo

ritar

ritandi matrimonium contra suum
interdictum præsumptuosè contra-
ctum.

Sed hisce rationibus non obstanti-
bus respondit S. Pont. *in c. 2. De ma-
trim. contract. cont. interd. Eccle.* ma-
trimonium post interdictum Episco-
pi ob sponsalia cum alio præcedentia
emanatum, esse inviolabiliter obser-
vandum. *licet enim*, pergit Pont. *con-
tra interdictum Ecclesie ad secunda
vota transire non debuerit, non est ta-
men conveniens ut ob id solùm Sacra-
mentum Coniugij dissolvatur, alia ta-
men penitentia eis debet imponi, quia
contra prohibitionem Ecclesie hoc fece-
runt.* quare ab illa regula, quòd lite
pendente nihil possit innovari, speci-
alis est exceptio in matrimonio lite
pendente contracto propter rationem
Sacramenti cuius vinculum est irrevoc-
cabile, ut etiam advertit Joan. Hon.
in tit. De sponsa duorum. n. 6. quòd
verò attinet ad *tex. in c. tua. De spon-*

sa duor. illum DD. ad conciliationem
 Jurium communiter accipiunt de ca-
 su, de quo loquitur, nimirum si li-
 non tantum fuerit pendens super
 sponsalibus de futuro, sed etiam super
 sponsalibus de presentibus vel alio impe-
 dimento dirimente. *gloss. in d. c. tua*
in v. poteris. Sylv. verb. Matrimo-
nium. 7. n. 1. vers. tertium. Panorm.
in eod. c. tua. n. 3. & in d. c. 2. n. 3.

Quod si tamen alicuius loci con-
 suetudo vel Consistorij inveteratus sty-
 lus foret, matrimonia pendente lite
 contracta nulla declarare aut ea su-
 poena nullitatis prohibere, non aude-
 rem improbare, nam ex consuetudine
 rationabili posse impedimentum diri-
 mens constitui, docet Sanch. *lib. 7.*
disp. 4. n. 11. Consuetudo enim ab ip-
 so Jure potestatem accepit, derogans
 legi communi, si coetera requisita con-
 currant. *c. fin. de Consuet.* licet id non
 sit Episcopo concessum. *Clem. 2. in*
princ. de elect. c. dilectus. De tem-
 Ord

Ordin. Si dicas, per consuetudinem non posse tolli Sacramentum, adeoq; nec matrimonium pendente lite contractum, quia & illud est Sacramentum. *d. c. 2. de matrim. cont. interd. Eccles. R.* per consuetudinem non tolli *directe* Sacramentum sed tantum invalidari contractum, quo invalidato hoc ipso non est matrimonium & consequenter non est Sacramentum. sicut factum est, quando Concilium Trid. invalidavit matrimonia sine Parocho & testibus contracta.

II. *Sponsalia de futuro* cum aliâ Personâ contractâ (ut jam insinuatum) 4
impediunt matrimonium cum aliâ, ita ut nisi iusta causa dissolvendorum priorum sponsalium subsit, matrimonium cum aliâ sine peccato mortali, & onere restituendi damnum priori sponsæ, contrahi non possit, tenebit tamen si defacto contractum fuerit. teste *Sanch. lib. 1. disp. 48.* quemadmodum

modum de Jure Civ. re duobus vendi-
 tā præfertur is, cui insuper tradita est.
l. quoties. 15. C. de rei vindic. Dico
 autem, nisi justa causa subsit, nam va-
 riæ causæ sunt ex quibus priora spon-
 salia dissolvi possunt. ut 1. ex mutuo
 vnanimi dissensu. 2. ex fornicatione
 ex alterutrius partis contingente post
 sponsalia, jux. reg. *frangenti fidem &c.*
 imò ex communi sententia sponsus
 propter antecedentem fornicationem
 sponsa, quæ tempore contractuum
 sponsalium ignorabatur à sponsalibus
 resiliere potest, non autem sponsa pro-
 pter antecedentem fornicationem
 sponsi, quia maius est dedecus, si spon-
 sa corrupta ducatur, quàm si vir for-
 nicationem commiserit. 3. ex notabi-
 li deformitate superveniente in spon-
 sâ *c. quemadmodum de Iurejurando.*
 4. ex diuturnâ absentia sponsi *c. de illis.*
s. de sponsal. Barb. in d. c. s. n. s. s. ex
 qualibet notabili & gravi mutatione
 superveniente, quâ præcognitâ spon-
 alia

alia non fuissent contracta, quia in-
 telliguntur contracta rebus sic stanti-
 bus. *Navar. de matrim. c. 22. n. 47.*
 Verum hic adnotandum est, quod si lis
 inter desponsatos oriatur super vali- 6
 ditate vel invaliditate sponsalium,
 quæ amicabiliter componi non pos-
 sit, Parochus non debeat esse Judex,
 & causam suâ sententiâ dirimere, sed
 debeat partes ad Consistorium Episco-
 pale dimittere. *tex & DD, in c. 1.*
in fin. de Consang. & Affin. Concil.
Trid. s. 24. de Sacram. matrim. can. 14.

III. *Tempus feriarum* impedit matri-
 monium, quod hodiè ex Concil. Trid.
 s. 24. de ref. mat. c. 10. ita determin-
 natum est, ut non liceat contrahere
 solennes Nuptias à 1. Dominica Ad-
 ventus usque ad festum Epiphaniæ, &
 à die Cinerum usque ad octavam Pas-
 chæ. dico solennes Nuptias; Sponsalia
 autem vel etiam matrimonium sine
 externâ solennitate vel pompâ, saltem
 cum licentiâ Episcopi contrahi posse,
 tradit Barb. *ib, n. 60.* IV. vo-

- 8 4. *Votum simplex castitatis* prohibet matrimonium contrahere, & defacto contractum sit, facit, ut debitum conjugale petere non liceat voventi, quámvis alteri parti petenti (saltem tacitè signis ingenio aut conditione inquit Nav. *in Man. c. 16. n. 30.*) reddere teneatur. Sed quia quotidianum periculum est, ne vovens petendo debitum peccet, ideò etiam Episcopum in tali voto dispensare posse rectè docet Nav. *d. n. 30.* & quidem ad officium Confessarij pertinere, ut ab Episcopo dispensationem hanc impetret, videtur insinuare Sanch. *lib. 9. disp. 27. n. 10.* ubi etiam docet, quòd Confessarius non teneatur monere voventem huius obligationis non petendi debitum ignarum inunicibiliter, si timeat fore, ut nihilominus à petitione abstenturus non sit, nisi in proximo possit dispensatio impetrari.
- 10 Cæterùm illud quòque hic advertendum est, quòd votum ingrediendæ religio-

ligionis, item votum non contrahendi matrimonium, faciat quidem matrimonium primum, & eo dissoluto quodcunque illicitum, sed tamen contracto semel matrimonio non obliget ad abstinendū à petitione debiti, quia qui tantum ingressum, vel religionem, vel cælibatum, aut clericatum vovit, necdum castitatem vovit, nec censetur se voluisse ad illam ante actualem status illius susceptionem obligare, ut benè observat Sanch. *d. L. 9. disp. 33. n. 14. & seq* Graffis, *1. p. decisionum, lib. 2. c. 24. n. 20.* Nec obstat quòd votum Castitatis sit substantiale religionis, & consequenter qui religionem vovit etiam castitatem vovisse videatur? nam R. aliud esse vovere religionem, id est, actu votum professionis religiosæ etiam vnum tantum (v. g. obedientiam secundum certam regulam emittere) & aliud vovere ingressum in religionem: priori casu procedit argumentum, non verò po-

G s

ste.

steriori. aliàs sequeretur, quòd is, qui tantum ingressum in religionem vovit, jam ante ingressum adhuc in saeculo existens, teneretur ad paupertatem servandam, abdicationem domini, ad jam tunc obediendum praelato, &c. quia non tantum votum castitatis, sed & paupertatis & obedientiae sunt religionis substantialia *jux. tex. in c. cum ad monasterium. de statu mon.*

§. II.

De Impedimentis dirimentibus.

Impedimenta dirimentia vulgaris versiculis comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,

Cultus. disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,

Si sis affinis, si forte coire nequibis.

SECTIO I.

DE ERRORE.

1. *Error alius in Persona, alius in qualitate.*
2. *Error in qualitate non causat impedimentum, nisi in 3. casibus.*
3. *Quando dicatur error qualitatis reddundare in errorem Personæ.*
4. *Consensus vel dissensus habitualis nihil operatur, & ibidem, quòd dolosa persuasio non irritet matrimonium, irritet tamen sponsalia.*
5. *Error servilis Conditionis an etiam hodiè locum habeat, maximè in illis qui vulgò *Leibaigne* vocantur.*

Error alius est in substantia seu persona, ut si putans se contrahere cum Berthâ contrahat cum Titia, &c. alius in qualitate v. g. si putans se ducere divitem, ducat pauperem.

Porro solus error in personâ causat impedimentum dirimens, non item error in qualitate, nisi in 3. casibus

nimirum. 1. si qualitas deducatur in conditionem expressam, v. g. ducote si sis dives, &c. conditio enim suspendit consensum & dum deficit, etiã consensum, & consequenter contractum deficere facit, 2. si error qualitatis redundet in errorem personæ, si videlicet contrahens non tam habuerit respectum ad qualitatem, quàm per ipsam qualitatem certam aliquam personam, aliam & distinctam à præsentì sibi determinaverit, v. g. si volens contrahere cum primogenitâ Titij contrahat cum secundogenitâ, si nimirum non tam ipsam primogenituram, quàm personam primogenitam consideret, vel si volens contrahere cum filiâ pulchrâ Titij, contrahat cum alterâ filiâ deformi non habendo respectum ad qualitatem pulchritudinis, quin potiùs ad ipsam personam, quàm pulchritudo ab alterâ distinguit. Sed quid si aliquis ita sit dispositus, ut tametsi sciret non esse illam

lam

lam quam intendit, nihilominus con-
 traheret : vel écontra si sciret non esse
 divitem vel nobilem nullo modo
 contraheret, an his casibus valebit aut
 dirimetur matrimonium ? R2. talem
 dispositionem esse tantum consensum
 vel dissensum *habitualem*, qui nec ad
 validandum, nec dirimendum matri-
 monium sufficit, antequam aliquis ac-
 tualem consensum vel dispensum po-
 nat. v. g. dicendo, aut deliberatè co-
 gitando, contraho cum istâ quamvis
 non sit Titia quam intendo, vel non
 consentio in istam nisi sit dives, unde
 licet sponsus ex falsâ jactatione divi-
 tiarum sponsæ dolosè persuasus sit ad
 contrahendum matrimonium, tamen
 resiliere non poterit, quia illa regula,
 quod dolus dans causam contractui
 bonæ fidei faciat contractum nullum,
jux. l. Et eleganter 7. ff. de dolo. locum
 quidem habet in alijs contractibus
 ordinarijs, ubi de rebus nostri Patri-
 monij agitur, ut in emptione, locatio-

ne & similibus: non autem in illis contractibus, qui traditione *sui ipsius* perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio. *arg. c. dudum. & c. ex parte. De convers. Conjug. Gutier. de matrim. c. 89. n. 6.* etenim in prioribus contractibus, cum omnia ex bona fide agi debeant, Juris interpretatione censetur subesse illa tacita conditio, *si ita est ut dicis, & c.* at verò in posterioribus cum regressio ex monasterio, sicut & separatio matrimonij sit scandalosa, ideo professio & contractus matrimonij censentur fieri sine omni restrictione voluntatis, aut reservatione tacitæ Conditionis.

S In sponsalibus tamen de futuro, utpote in quibus necdum intervenit actualis sui traditio, sed tantum promissio de tradendo, procedere supra dictam regulam, quòd ex dolosa persuasione irritari possint, docet Sanch. *lib. 1. disp. 64. 3* olim quando servitus in usu erat, error servilis conditionis dignetur.

rimebat matrimonium. c. 2. 3 & fin. de conjugio serv. cum enim servi fuerint in omnimodâ potestate dominorum, ita ut ad remotissimas partes mitti, venundari, diversis negotijs occupari potuerint, cohabitatio matrimonialis inter liberum & servum nō potuisset commodè haberi. at hodiè cum servitus in orbe Christiano majori ex parte sublata sit, quæri tantum potest, an error in illa conditione personæ, quæ vulgò in Germania die *Leibaienschafft* vocatur, faciat impedimentum dirimens? Tales homines proprios seu *Leibaigne* / aliqui adscripticios (qui scilicet glebæ aut fundo colendo perpetuò adscripti sunt) vel originarios, qui ex adscripticijs nati sunt, censent, *Gail lib. sing. de pignorat. obs. 8. n. 1.* aliqui servos anonymos appellant, utpotè qui partim de servis, partim de adscripticijs, partim de libertis participant. *Zasius respons. lib. 1. c. 3. & consil. 19. n. 3.*
 Sed

Sed quidquid sit de statu istorum hominum, certum est quòd servi propriè dicti non sint, ideoque favore matrimonij probabilius videtur, ea quæ de errore in qualitate servili sunt constituta, non esse ad statum istorum hominum extendenda, *arg. eorumque de adscripticijs docet Sanch, de matrim. lib, 7, disp. 19. n. 9.*

SECTIO II.

DE CONDITIONE.

1. *Conditio contra substantiam matrimonij apposta annullat illud.*
2. *alia conditiones turpes reijciuntur.*
3. *Hodiè non est in usu matrimonio adycere conditionem.*

Conditio contra substantiam matrimonij apposta annullat illud, dicitur autem conditio contra substantiam matrimonij, quæ est, vel contra finem, vel contra vinculum, vel contra fidem matrimonij. contra finem, duco

duco te si generationem prolis evita-
veris: contra vinculum: duco te, do-
nec inveniam aliam digniorem: con-
tra fidem, si te adulterandam dederis
pro quaestu, &c. reliquæ verò condi-
tiones turpes, aut impossibiles. v. g.
si Titium occideris, &c. favore matri-
monij rejiciuntur, & matrimonium,
habetur ac si purè contractum esset.
c. fin. de Condit. appof.

Plura subtilia, & difficilia circa
hanc conditionum materiam tradunt
interpretes, quibus tamen non immo-
ror, cum hodiè quandò post Concil.
Trid. matrimonia publicè coram Pa-
rocho & testibus contrahuntur, vix sit
auditum aliquandò conditionem adij-
ci. imò hodiè de consuetudine videtur
recepta illa doctrina, quam aliqui DD.
apud Barb. in collect. tradunt *in c.
super eo. s. de condit appof. per textum
ibidem*, quod videlicet partes adijcien-
tes conditionem matrimonio non
tam matrimonium, quàm potius
spon-

sponsalia de futuro contrahere velle
censeantur.

SECTIO. III.

DE VOTO.

1. *Votum solenne est impedimentum
dirimens.*

2. *Matrimonium ratum dissolvitur
etiam quoad vinculum per ingres-
sum in Religionem.*

3. *Matrimonium Consummatum per
ingressum in Religionem tantum
quoad cohabitationem dissolvitur
& qua requirantur.*

1 **V**otum est impedimentum diri-
mens quod est solenne per profes-
sionem in aliquâ religione approbatâ
factum. *c. vn. de voto in 6.* Habent
2 præterea novi conjuges matrimonio
jam contracto duos menses ad delibe-
randum, an matrimonium consumma-
re vel potius Religionem ingredi ve-
lint, neque ante id tempus elapsum
ad

ad consumationem cogi poterunt. quòd si religionem alterutra pars ingressa fuerit matrimonium *ratum* etiam quoad vinculum dissolvetur, & alter forsàn in sæculo remanens aliud matrimonium inire poterit, sed tunc primùm, quandò ingrediens professionem fecerit. *c. 2. & 7. de convers. conjug. Host. eod. tit. n. 11.* dico autem matrimonium *ratum* (cui scilicet necdum copula carnalis accessit) hoc modo dissolvi posse. at verò matrimonium semel *consummatum*, quoad vinculum nunquàm, quoad mutuam autem cohabitationem eo tantùm casu per ingressum in religionem dissolvi potest, si alter conjux expressam licentiam ingrediendi dederit, & ipsemet etiam sequi, vel saltem (si propter senium, aut valetudinem de incontinentia suspectus non sit) in sæculo remanens Voto simplicis castitatis se obligare velit. *c. 4. & seq. c. vxoratus. 8. de Convers. conjug.*

SECTIO.

DE COGNATIONE.

1. Cognatio triplex.
2. Cognatio spiritualis inter quos contrahatur.
3. Non contrahitur inter Personas, quae non sunt in Concilio Trid. expresse.
4. Baptizans in necessitate contrahit cognationem non autem tenens.
5. An levans infantem per Procuratorem contrahat cognationem, diverse sunt sententiae.
6. Episcopus potest dispensare in luteo dubio.
7. Declarationes Cardinalium non ligant, nisi appareant in authentica forma.
8. Cognatio Naturalis quae.
9. Cognatio Naturalis in quibus casibus dirimat matrimonium.
10. Regula pro computatione graduum in arbore Consanguinitatis.
11. Cognatio legalis unde oriatur.

12. Pro

12. Probabilius est, quod ex sola arrogatione.
13. In quibus gradibus dirimat matrimonium.
14. Non sufficit aliquem quocumq; modo haberi pro filio.
15. Unio prolium non inducit cognationem legalem.

Cognatio est triplex, Spiritualis, Naturalis & legalis.

De Cognatione Spirituali.

Hæc cognatio oritur ex *Baptismo* & *Confirmatione*.

Per *Baptismum* contrahunt inter se cognationem spirituales Patrini & Baptizatus, huiusque Pater & Mater, deinde etiam baptizans & baptizatus ac baptizati Pater & Mater.

Similiter per *Confirmationem* contrahitur Cognatio inter confirman-tem & confirmatum ac confirmati Patrem & Matrem, & tenentē seu Patrimum, *Trid. s. 24. de ref. Mat. c. 2.*

Inter

3 Inter alias autem Personas, quæ hic expressæ non sunt, nulla cognatio hodierno Jure contrahitur. vnde Patrinus sororem baptizati, baptizatus filiam Patrini, Pater baptizati sororem Patrini, aut etiam eius uxorem viduam relictam (quia Cognatio spiritualis à viro contracta non transfunditur in uxorem, nisi & ipsa tenuerit Infantem) ducere non prohibetur. Multo minùs inter ipsos Patrinos aliqua cognatio contrahitur, & ita poterit Patrinus Matrimonium contrahere cum eâ, cum quâ simul alienum filium suscepit. *vid' Barb. in Collect. ad d. c. 2. Trid. n. 18. & seqq.*

4 Præterea si in necessitate propter instantem mortem Baptismus à laico conferatur, baptizans quidem ad baptizatum eiusque parentes spirituales cognationem contrahet, qui tamen tenuerit infantem, is ex probabiliori sententia nullam contrahet cognationem, cum enim non spondeat vel re-

spon-

spondeat pro infante, sicut in Baptismo solenni fieri solet, non censebitur esse ipsius Patrinus seu Pater spiritualis, sed potius merè per accidens & commoditatis causâ eundem tenuisse.

Sanch. lib. 7. disp. 62. n. 14. Sot. in 4. dist. 42. q. 1. art. 2.

Sed quid, si aliquis per Procuratorem infantem ex Baptismo levârit, sicut magni domini facere solent, uter cognationem contrahet, an principalis, vel procurator? R. mihi imprimis non videri magnum dubium, quòd ipse procurator cognationem non contrahat, quia solus contactus infantis non efficit cognationem, nisi quis eâ intentione faciat, quòd ex propria sua Persona velit pro ipso spondere & Pater eius spiritualis existere, aliàs quivis quocunq̄ue modo inter baptizandum contingeret vel teneret infantem cognationem spiritualem contraheret. At verò major est difficultas, quid de ipso principali, qui Pro-
cura-

curatorem constituit, dicendum? Pro
 utraque parte plurima argumenta ad-
 ducit Nav. *De cognat. spir. Consil. C.*
 & tandem Negativè concludit, videl.
 neque ipsum Principalem contrahere
 aliquam cognationem spirituales, eo
 quòd Canones, qui de hac Cognatio-
 ne loquuntur, videantur requirere ac-
 tualem *susceptionem levationem vel*
contactum, ut passim in *Caus. 30. q. 1.*
2. 3. & 4. atque idem complures sen-
 tentias allegat Barb. in *Collect. ad d.*
c. 2. Trid. n. 26. vers. contra. Ego
 quidem non renitor, quin ista senten-
 tia theoricè sit valde probabilis, quem-
 admodum de Jure Civili in actione
 famosâ condemnatus per Procurato-
 rem, nec ipse (quia sententia lata est
 in Procuratorem) nec procurator eius
 (quia non suo sed alieno nomine ca-
 git) infamiam contrahit. *l. furti. 6.*
§. 2. & l. servus. 14. ff. De his, qui not.
infam. Attamen quia ex adversa par-
 te & pro sententiâ affirmativâ etiam
 plurim

plurimi sunt graves DD. relati à Barb.
d. l. & à S. Congreg ita declaratum
 ait Eman. *Sà. v. matrimonium. de im-*
pedim. dirim. n. 5. ideo planè opinor,
 Parochos non debere priorem senten-
 tiam inconsulto Episcopo praticare;
 dico, inconsulto Episcopo. nam 6
 quando dubium occurrit, an sit ali-
 quod impedimentum inter contra-
 hentes, vel an indigeant dispensatio-
 ne datâ utrinque probabilitate senten-
 tiæ, tunc posse Episcopum ad caute-
 lam dispensare, vel certè declarare
 nullâ opus esse dispensatione, docent
 Eman. *Sà. v. dispensatio n. 1.* Laym.
de LL. c. 22. n. 4. Garc. *de benef. p.*
7. c. 2. n. 10. Nec oberit huic declara-
 tioni vel dispensationi illa Declara-
 tio Card. quam allegat *Sà. d. v. ma-*
rimonium. quasi verò eius authori-
 tate sententia affirmativa debeat in-
 cunctanter teneri, non oberit, inquã, 7
 quia non constat de illa declaratione
 in formâ authenticâ. dicit enim Mo-

H

der-

dernus *De supplicat. ad Sanctissimum.*
p. 2. c. 30. §. 5. n. 4. Urbanum VIII.
 mandasse, ne Declarationibus Cardi-
 naliū sive impressis sive manuscrip-
 tis aliqua fides adhibeatur in iudicio
 vel extra, nisi in authenticā formā so-
 lito sigillo & subscriptione Cardina-
 lis Præfecti ac Secretarij ejusdem Con-
 gregationis munitæ fuerint, eo quod
 compertum sit, plurimas falsas decla-
 rationes circumferri. *Barb. Jur. Ec-
 cles. univ. lib. 1. c. 4. n. 83.*

De Cognatione Naturali.

8 **N**aturaliter cognati seu consan-
 guinei dicuntur, qui inter se
 communicationem Sanguinis habent.
 est autem Cognatio genus ad *Agnationem*
 & *Cognationem in specie.* *Agnati*
ti dicuntur, qui ex linea Paterna nostri
 consanguinei sunt, quiq̄ue idem no-
 biscum Nomen & gentilitatis Insignia
 tenent: *Cognati* verò, qui ex linea
 materna nobis conjuncti, ut fratres

vel soror matris eorumque liberi.

Porro consanguineorum alij sunt *ascendentes*, alij *descendentes*, & alij *collaterales*. *ascendentes* dicuntur, qui nos progenuerunt, ut Pater, avus, pro-avus: *descendentes*, quos nos genuimus, ut filius, nepos, &c. *Collaterales* autem sunt illi, qui nec à nobis, nec nos ab ipsis ortum habemus, sumus: tamen eodem sanguine propagati, ut frater, soror, eorumque liberi & nepotes.

Inter *ascendentes* & *descendentes* 9
matrimonium in perpetuum est prohibitum: inter *Collaterales* verò olim quidem erat prohibitum usque ad septimum gradum, hodiè autem hæc prohibitio usque ad *quartum inclusive* limitata est. c. *fin De cland. despons. Clem. un De consang. & affin.*

Pro computatione graduum in articulo 10
bore Consanguinitatis sequentes regulæ notandæ sunt.

I. *in linea recta* seu ascendentium

H 2

&

& descendantium tot sunt gradus, quot sunt Personæ unâ demptâ. sic nepos est Avo conjunctus in secundo gradu, quia nepos, ejus pater, & avus sunt 3 Personæ, jam unâ demptâ manent duæ & consequenter duo gradus.

II. In *linea transversa* seu Collateralium primo invenendus est communis *stipes*, seu illa Persona, à quâ ambæ, de quarum conjunctione quaeritur, descendunt. Invenito *stipite*, videndum est, an utraqûe persona *equaliter* distet à *stipite*, vel utrum una sit remotior: sic duorum fratrum filii *equaliter* distant ab Avo, qui est communis eorum *stipes*, contra ego & mei fratris filius distamus *inequaliter*, quia ille per unum gradum magis recedit ab Avo, quàm ego, nam is, qui est ipsius avus, est meus Pater.

III. In *linea transversa equali* seu quando utraqûe persona eodem modo distat à *stipite*, regula est: quòd tot gradu distent inter se, quotò à communi

ni stipite. sic duorum fratrum filij sunt sibi in secundo gradu conjuncti, quia quilibet eorum est Avo communi *stipiti* in secundo gradu conjunctus.

IV. In *linea transversa inaequali* regula est: quòd *remotior trahat ad se viciniorem*, id est, quoto gradu remotior distat à *stipite*, toto distant inter se. sic quia mei fratris filius duobus gradibus distat à meo Patre communi nostro *stipite*, & ego tantum uno, ideò etiam duobus distamus inter nos.

Est autem hìc adnotandum, quòd facile sit scire quoto gradu aliquis distet à *stipite*: nam cum quilibet respectu *stipitis* sit *descendens*, adhibenda erit prima regula, ita ut quot sunt Personae numerando inclusivè à *stipite* usque ad illam personam, de cujus cognatione quæritur, tot unà demptà sint gradus.

De Cognatione legali.

Legalis Cognatio oritur ex adoptione, II

H 3

quæ

quæ dicitur actus legitimus, per quem
 is, qui filius non est, in filium assumi-
 tur. Dividitur porro *adoptio* in *arro-*
gationem, & *adoptionem in specie*. *Ar-*
rogatio dicitur, quando homo sui Juris
 authoritate principis in filium assumi-
 tur, ac in arrogantis potestatem &
 familiam transit: *adoptio* verò *in spe-*
cie dicitur, quando quis in sui Patris
 vel Avæ naturalis potestate remanens
 in filium authoritate Magistratus
 assumitur. §. 1. *Inst. De adopt.*

12 Sed quærent DD. an impedimen-
 tum *legalis cognationis* tam ex *arroga-*
tionem quàm ex *adoptione in specie* nascatur? Hodiè magis recepta videntur
 sententia, quòd ex sola *arrogatione* nõ
 verò ex *adoptione* nascatur impedi-
 mentum, tum quia in *Arrogatione*
 major est conjunctio propter equalem
 subjectionem & potestatem patriam
 in quam transit *Arrogatus*, non item
adoptatus ab extraneo, qui manet in
 potestate sui Patris naturalis, tum
 quia

quia in arrogatione propter simultaneam cohabitationem occasione matrimonij contrahendi magnū fuisset incontinentiæ periculum, nisi leges matrimonium prohibuissent, & ita omnem prætextum suspectæ conversationis sustulissent: tum denique quia impedimenta matrimonij tanquam odiosa in dubio potius restringenda sunt quàm amplianda. *arg. tex in Concil. Trid. s. 24. de ref. matr. c. 2. in princ. Sylv. v. matrimonium § sub. n. 8. vers. quartum. Sanch. lib. 7. disp. 63. n. 9. Zoef. ad tit. Decretal. De cognat. legal. n. 2.*

Ex arrogatione igitur nascitur impedimentum 1. in linea recta inter arrogantem & arrogatam ejusque descendentes etiam finitâ arrogatione. 2. inter arrogatum & uxorem arrogantis, propter quandam quasi affinitatem, eamque arrogatus tam durante, quàm finitâ arrogatione Novercæ loco habere & venerari debet. l. adoptivus

vivus. De ritu nupt. 3. vice versâ inter
arrogantem & uxorem arrogati etiam
 finitâ arrogatione impedimentum di-
 rimens est, atque sicut arrogatus vxo-
 rem arrogantis tanquam novercam,
 ite arrogans uxorem arrogati tanqua-
 murum habere debet. *tex. & DD in*
ad. l. adoptivus. §. 1. 4. in linea Collate-
 rali eo usque se extendit impedi-
 tum quousque Patria potestas, scilicet
 tantum ad filios vel filias naturales le-
 gitimos in potestate arrogantis con-
 stitutos. unde solutâ arrogatione in-
 ter collaterales nullum est impedi-
 mentum, & durante etiam arrogatio-
 ne tenet matrimonium cum filia e-
 mancipata arrogantis. Quid autem
 si quis duos extraneos nimirum filium
 & filiam arrogarit, an inter eos possit
 esse matrimonium? R. affirmativam
 esse probabilem, quia in isto casu non
 faciunt Jura mentionem alicujus im-
 pedimenti, & licet hic quoque sub-
 sit periculum incontinentiæ prætextu
 ma-

matrimonij propter simultaneam co-
habitationem, favore tamen matri-
monij & in odiosis non valet argu-
mentum à paritate rationis deductū.

Sanch. d. l. disp. 63. n. 28. Zoef. d. tit. n. 6.

Postremò ex hæcenus dictis facile ¹⁴
colligitur non statim censerì aliquem
adoptatum & legaliter cognatum, si
forsan ex misericordiâ in defectu pro-
priorum parentum tanquam filius a-
limentetur, nisi solennitates Juris in-
terveniant, videl. ut arrogans 18. an-
nis sit Major arrogato, ut si impubes sit
arrogatus causæ cognitio adhibeatur,
an expediat pupillo arrogario, ut au-
thoritas Principis accedat & alia, quæ
præscribuntur in §. cum autem 3. Inst.
De adopt. §. l. 2. & l. fin. C. cod.

Deinde quamvis in Germaniâ v. ¹⁵
nio prolium (vulgò die Einkindschaft
oder Erbverbrüderung) species sit A-
doptionis ejusdemque solennitates re-
quirat teste *Gail. lib. 2. obs. 125 n. 6.*

H 5

§ 8.

§ 8. nihilominus verius puto exinde
 non nasci impedimentum legalis
 cognationis, quia, ut prædictum, non
 omnis adoptio causat impedimentum,
 & talis *unio* non tam fit propter ma-
 jorem conjunctionem personarum,
 quam potius bonorum, ut diversorum
 matrimoniorum liberi æqualiter in bo-
 nis tam paternis quam maternis suc-
 cedant. quare si viduus ducat viduam,
 & ambo jam prius ex alio matrimo-
 nio habeant liberos, quos deinde per
unionem conjungant non obstante
 hac conjunctione adhuc inter eos ma-
 trimonium esse poterit. cum enim
 hæc *unio prolium* sit de Jure scripto
 incognita & tantum de consuetudine
 introducta leges nihil de ea constitu-
 erunt, sine textu autem expresso ali-
 quod impedimentum statuere plane
 inconueniens videtur. *auth. consi-*
deremus. De Triente §
sensisse.

SECTIO, V.

DE CRIMINE.

1. *Adulterium cum promissione facie impedimentum dirimens,*
2. *Requiritur copula adulterina perfecta.*
3. *Sponsalia durante matrimonio contracta sunt invalida.*
4. *Non requiritur ut simul & semel fiat adulterium & promissio.*
5. *Sufficit promissio acceptata, licet non sit facta repromissio.*
6. *Acceptio debet declarari aliquo signo externo.*
7. *Etiam simulata promissio sufficit.*
8. *Verba promissionis debent habere obligationem sponsalium.*
9. *Occisio conjugis conjuncta cum adulterio, vel ex machinatione utriusq; contrahentium proveniens dirimit matrimonium.*

Per crimen hic intelligitur Crimen Adultery & homicidij: nam

I *Crimen adulterij* conjunctum cum *promissione* futuri matrimonij facit impedimentum dirimens, hoc est, si adulterans suo complici promittat matrimonium, ubi conjux legitimus mortuus fuerit, hoc ipso nullum inter eos matrimonium esse poterit, quia talia pacta sunt scandalosa & inducunt votum captandæ mortis Conjugis innocentis. *tot. tit. Ext. De eo qui duxit, quam poll. &c.*

2 Debent autem aliquot condiciones concurrere, ut hoc impedimentum inducatur. I. enim requiritur, ut copula adulterina sit perfecta & non tantum attentata, quia in pœnalibus termini sunt restringendi. *Glossa & Abbas in c. fin. De eo qui duxit.*

II. *Adulterium & promissio* copulativè requiruntur. neque solum *adulterium*, nec sola *promissio* facit impedimentum dirimens *c. fin. d. t.* est tamè talis promissio constante matrimonio invalida & vim sponsalium non habet, quia

quia est peccaminosa, contra bonos mores, & votum captandæ mortis inducens. *Pan. in d. c. fin. n. 2.* Sed non 4
requiritur, quòd eodem tempore simul & semel concurrant *Adulterium* & *promissio*, dummodo utrumque fiat vivente conjuge innocente, *d. c. fin.* & dummodo promissio, quæ adulterium præcessit, non sit omninò remissa aut mutuo consensu dissoluta. *Sanch. lib. 7. disp. 79. n. 3. Gutierrez. de matrim. cap. 105. n. 26.*

III. Debet esse *promissio accepta* 5
ab alterà parte, verba enim accipienda sunt cum effectù, & promissio non acceptata nuda pollicitatio est, quæ nullam obligationem parit. *l. 2. §. sed si donaturus. C. l. absentis. ff. De donat. l. nuda pollicitatione. C. de contrah. stip.* imò volunt aliqui non contemnendi DD. citari apud *Sanch. d. disp. 79. n. 19.* non sufficere ut promissio quocunque modo acceptetur, sed insuper requiri, ut ex parte acceptantis repro-

H 7

missio

missio fiat, quæ in sponsalibus desideratur. Contraria tamen sententia, quòd sola acceptatio sufficiat, videtur *verbis & menti* Juris conformior; *verbis* quidem, quia *tex. in c. 1. c. significasti, c. veniens. c. fin. De eo, qui duxit, & c. relatum. 31. q. 1.* hoc impedimentum statuentes, solius fidei datæ cum adulterio meminerunt, & nullibi invenitur alterius repromissio desiderata: *Menti* autem, quia non minus inducitur votum captandæ mortis si promissio acceptata intervenerit, quàm si etiam repromissio accesserit, maximè cum talis promissio in dubio censeatur merè gratuita propter amorem adulterinum & inductionem ad peccatum, ac consequenter statim post acceptationem obligans, non verò respectiva & sub tacitâ conditione repromissionis data, sicut in ordinarijs sponsalibus fieri solet. *Sancti d. l. 6 n. 20. & seq.* Illud verò, concedendum est non censi acceptatam promissio-

missionem si pars, cui facta est, nullo verbo aut signo externo illam acceptationem declararit, licet forte in animo reverà acceptaverit; tùm quòd acceptatio talis promissionis tanquam mala & delictum non præsumatur. *l. merito. ff. pro socio.* tùm, etiam quòd hoc impedimentum *Criminis* sit statutum in poenam adulterorum & malè contrahentium, Actui autem merè interno & cogitationi Jura regulariter non soleant poenam infligere. *c. Cogitationis. 14. De Penit. dist. 1.*

Sed quid si faciens promissionem ex postfacto dicat, sibi non fuisse animum se obligandi, sed tantùm mediante promissione alterum inducendi ad peccatum? R. nihilominus natum esse impedimentum: quia saltem ex parte illius, qui promissionem seriò intellexit, subest periculum captandæ mortis, & in delictis regulariter intentio ex actu externo præsumitur.

l. i. c.

7

1. I. C. ad leg. Corn. de sic. & l. 5. C. de injurijs. Ioan. And. in c. significasti. n. 2. De eo qui duxit. Grassi 1. p. decis. lib. 2. c. 85. n. 8.

8 IV. Demùm requiritur, ut verba promissionis sint talia, quæ obligationem contrahendi matrimonij expriment, & ordinariè vim sponsalium habere censeantur: quare non caufabitur impedimentum, si adulter dicat suæ complici: *nisi essem uxoratus ducerem te*: quia hic necdum est positiva voluntas contrahendi post mortem uxoris, sed tantùm quædam *velleitas*. Item si dicat: *post mortem uxoris mee nullam aliam ducam quam te*; nam neque ista verba inducunt obligationem sponsalium (nisi ex utraq; parte tractatus de sponsalibus precessisset) sed censeantur habere implicitam conditionem: *si aliquam ducturus sum*, unde si talem promissionē faciens velit ab omni matrimonio abstinere, id liberè facere potest. *vid. Sanch. d. disp. 79. n. 18. & lib. 1. disp. 19 per tot.* Al

Alterum *crimen*, quod impedi-
 mentum constituit est *homicidium*,
 seu occisio conjugis innocentis facta
 intentione alterius matrimonij. Un-
 de si adulterium commissum sit & vel
 unus tantum ex adulteris in mortem
 conjugis instigatione, auxilio, vel
 consilio machinatus sit, non poterit
 amplius inter eos esse matrimonium,
 quamvis coeteroquin nulla promissio
 intervenerit, requiritur tamen, quod
 mors innocentis secuta sit, nam sola
 machinatio non sufficit. *o. si quis vi-
 vente. 31. q. 1. c. 1. De Convers. infid.
 c. significasti. De eo qui duxit.* Quod
 si ambæ personæ, quæ volunt contra-
 here, machinatae sint in mortem in-
 nocentis conjugis, nascetur impedi-
 mentum dirimens, licet nec a-
 dultorium nec promissio con-
 currerit. *d. c. 1. De con-
 vers. infid.*

(:†:)

SEC.

SECTIO VI.

DE DISPARITATE
Cultus.

1. *Ex continuo usu Ecclesie irritum est matrimonium fidelis cum infideli.*
2. *Matrimonium Catholici cum heretica est illicitum, non tamen invalidum, & quid in Germaniâ?*
3. *Pacta, ut liberi aliqui in fide heretica educantur, sunt impia,*
4. *Contrahentes in infidelitate cum impedimento, an sint separandi post conversionem?*
5. *quid Iuris si unus tantum ex conjugibus ad fidem convertatur?*

Propter disparitatem cultus irritum est matrimoniū à fideli contractū cum infideli, juxta illud Apostoli. 2. ad Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c.* quamvis autem hic textus, sicut & alij, qui ex scriptura & Jure Can: allegantur, ut c. cave. c.

non

non oportet. & c. judei. 28 q. 1. non loquantur in proprijs terminis de ir-ritatione, sed tantum de prohibitione matrimonij fidelis cum infideli, tamen quod ex continuo usu Ecclesie etiam irritum habeatur matrimonium fide-
lis cum infideli contractum, testis est Sanch. cum Soto, Bellarmino & alijs lib. 7. diff. 71. n. 8. citatis

Matrimonium autem Catholici cum hæreticâ est quidem illicitum & sine peccato non contrahibile, non tamen est invalidum. imò in Germa-
niâ ac alijs locis ubi hæretici permixti cum catholicis vivunt planè non esse illicitum matrimonium Catholicæ personæ cum hæretica tenet Sanch. d. l. 7. diff. 72. n. 5. Azor. Instit Mor. lib. 8. c. 11. q. 5. quia illa conjugia inter Catholicos & hæreticos ineuntur instar aliorum Contractuum ob communem pacem & tranquillitatem, dummodo Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo in fide

2

fide permanere, quod periculum quia
ordinariè subest maximè in foeminis,
meo quidem Iudicio difficulter excu-
sandi sunt parentes, qui aliquando
nulla necessitate cogente propter re-
spectum aliquem merè temporalem
v. g. honores aut divitias liberos suos
3 cum hæreticis conjungunt. Pacta
verò, ut quidam ex liberis nascituris
in fide Catholicâ, quidam in hæreticâ
educantur, prorsus impia & contra Jus
divinum pugnantia meritò asserit
Sanch. d. l. Nav. *Consil. 1. De Constit.*
n. 63.

Quòd si duo infideles inter se con-
traxerint matrimonium, id Jure Na-
turali validum erit, & propterea si
ambo ad fidem convertantur ab in-
vicem separari nec possunt nec debent
4 tametsi fortè cum aliquo impedimen-
to dirimenti Jure tantùm humano
Pontificio introducto v. g. in 2. vel 3.
Consanguinitatis gradu lineæ colla-
teralis contraxerint, quia eo tempore,
quo

quo contraxerunt, non ligabantur Iure Pontificio, utpotè qui per baptismū nunquam in Ecclesiam ingressi ejusq; subditi effecti sunt: post Conversionem autem talia impedimenta censentur primū supervenire matrimonio, & ideo illud non dirimunt, sicut si inter Catholicos post contractum matrimonium aliqua affinitas ex parte uxoris induceretur, ut quia ipsius soror à marito cognita est. *c. gaudeamus. 8. De divort.* si autem aliquis in infidelitate plures uxores habuerit, primam cum qua contraxit retinere debet, quia cum illā solā verum fuit matrimonium, non obstante quòd fortassis eam ante conversionem repudiaverit, cum talis repudiatio quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis non valuerit. *d. c. gaudeamus. vers. quia verò.*

Sed quid, si unus tantū ex conjugibus infidelibus ad fidem convertatur altero nolente converti? R. si con-
5
jux

jux infidelis velit sine contumeliâ & blasphemia Creatoris cohabitare conjugii fideli, id esse concedendum: erunt enim in hoc casu observanda verba Apostoli. *1. ad. Cor. 7. si quis frater uxorem habet infidelem & hoc consentit habitare cum illo non dimittat illam, & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa non dimittat virum.* & paucis interjectis, quod si infidelis discedit, discedat: non enim servitus subjectus est frater aut soror hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus &c. ex quibus Apostoli verbis colligitur, matrimonium in infidelitate contractum non hoc ipso dissolvi, quod alter ex conjugibus ad fidem convertatur, sed tunc demùm ex speciali Privilegio à Christo in fidei favorem concessio & per Apostolum promulgato dissolvi posse, si conjux infidelis nolit fideli pacificè cohabitare. *quanto, 7. De divor.*

SECTIO VII.

DE VI.

1. *Differentia inter vim & metum.*
2. *Metu gesta, in alijs causis sunt rescindenda, in spiritalibus sunt ipso Iure nulla.*
3. *Qui dicatur justus metus.*
4. *Metus reverentialis an sit justus.*
5. *Metus non incussus ad eliciendam obligationem, vel propriam culpam causatus non est justus.*
6. *Raptus hodie impedimentum dirimens.*
7. *Casus qui ex multorum doctrina non comprehenduntur sub impedimento raptus.*

Quamvis *vis* & *metus* in proprijs terminis differant, eo quod *vis* sit corporalis coactio de presenti alieni illata, *metus* autem dicatur mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa, quia tamen utrobique tollitur libertas Consensus, ideo quod in

CON-

contractibus de *vi* dicitur, de metu quoque ceteris paribus sentiendum est *l. 1. & seqq. ff. quod metus causa.*

2 Porro ex comuni sententia gesta ex metu regulariter ipso jure valent, sed tantum per sententiam Judicis rescinduntur, habent enim causam obligationis scilicet, consensum, cum etiam voluntas coacta sit voluntas. *l. si mulier. 21. §. pen. ff. quod metus causa.* Attamen communis etiam est sententia, hanc juris subtilitatem non attendi in spiritualibus, in quibus metu gesta ipso jure nulla sunt, praesertim in matrimonio, electionibus & votis, ad quorum substantiam non qualiscunque voluntas sufficit, sed omnino libera requiritur. specialiter vero circa matrimonium pulchram rationem assignat Pan; *in c. cum locum. 14. De sponsal. n. 7.* nimirum quod metus praeterquam quod non significet omnino voluntariam conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum

matrimo-

matrimonij denotat) aduersetur e-
tiam *bonis* matrimonij, ut *bono prolis*,
cum propter displicentiam coactus nō
intendat procreationi, & *bono fidei*,
cum propter inuitas nuptias conjuges
facile labantur in adulterium.

Sed vt *metus* faciat impedimentum,
debet esse *justus* & ad eliciendam
promissionem incussus.

Dico I. *metum* debere esse *justum*,
qui scil in virum constantem cadat c.
ad audientiam 4. De his que vi metus-
ve & c. l. 6. C. eod. cuius metus plura,
passim in Jure enumerantur exempla
ut carceris, seruitutis, verberum, mor-
tis, &c l. 3. & 4. l. qui in carcerem.
22. ff. d. t. Licet autem jura loquan-
tur de metu in virum cadente, nihil-
ominus conditio personarum atten-
denda erit, ita ut leuior metus in fœ-
mina, quàm viro sufficiat, & ideò ex
parte mulieris requiretur metus, qui
cadat in constantem mulierem, teste
Pan: ind. c. cum locum. n. 6. & no-

tabilem doctrinam ponit Barb. in col-
lect. ad c. sacris. De his que vi, &c.
vers. pro resolutione. quòd ille dicatur
justus metus, per quem aliquis eligit
minus malum ad vitandum majus.
Deinde nomine justus metus is intelli-
gitur, qui contra bonos mores irroga-
tur, non quem Judex pro sua Jurisdi-
ctione facit. l. 3. §. 1. ff. quod metus
causa. unde sine dubio valebit matri-
monium, tametsi Judex Ecclesiasticus
sponsum per arrestationem aut Cen-
suras ad contrahendum matrimo-
nium cum sponsa ad sponsæ instan-
tiam compellat.

4 Celebris est quæstio, an metus
reverentialis sit justus metus, an va-
leat matrimonium si liberi aut subditi
propterea contraxerunt, quia ob re-
verentiam parentum vel dominorum
non sunt ausi contradicere? Quòd ta-
lis metus justus non sit, videtur evinci
posse ex l. ad invidiam. C. quod metus
causa, l. fidejussor. 26. §. 1. De pignor. l.
si Pa-

si Patre. 22. De ritu nupt. in quibus lo-
 cis satis declaratur, quòd sola *reveren-*
tia pro justo metu allegari nequeat.
 Econtrario æquè fortiter pugnat. *l.*
pen. ff. De furtis. & l. 1. §. in summas.
6. ff. quarum rerum actio non datur.
 ubi *metus* & *nimia reverentia* æqui-
 parantur. In hac quæstione omissis
 aliorum sententijs breviter statuo,
 quòd *reverentia* superiori debita non
 indistinctè pro justo metu allegari
 possit, aliàs nullus foret locus efficacii
 contractui inter Dominum & subdi-
 tum, vel in præsentia parentum, si
 præensione *reverentia* qualibet ca-
 villatio concederetur, quò sensu acci-
 piendæ erunt leges primitus allegatæ.
 Sin autem præter *reverentiam* alia
 insuper adminicula concurrant, ex
 quibus colligi possit, aliquem revera
 fuisse invitum, ut inæqualitas contra-
 hentium, periculosa minæ, importu-
 næ persuasiones, & ut verbo dicam,
 si modesta contradictio nihil javisset.

tunc metus *reverentialis* etiam pro
justo metu habendus erit. *vid Rota.*
apud Farinac. in decis. crim. & test.
decis. 242. Cov. de matrim. p. 2. c. 3. S.
6 n. 4 Fachin. 2. Controv. c. 96. Gut-
tier. de matrim. c. 44. n. 31.

S Dico II metum debere esse ad eli-
 ciendam obligationem seu promissio-
 nem incussum, quare valebit matri-
 monium, si propter delictum in car-
 cere coniectus, ad favorem Judicis &
 sui liberationem impetrandam cum
 ejusdem filia contrahat, vel si puella
 in periculo latronum vel naufragii
 constituta, alicui ad se liberandum
 promittat matrimonium. *arg. l. me-*
tum. 9. §. 1. ff. quod metus causa. illud
 etiam matrimonium valere probabile
 est, quod contractum est ab eo, quem
 Pater in delicto cum filia deprehen-
 dit, ei que minitatus est mortem vel
 accusationem, nisi filiam duxerit. nam
 metus, in quem quis se propriam culpam
 conijcit, maxime si in compensatione
 dam.

damni illati exigat matrimonium,
 sicut in defloratione *jux. c. 1. & 2.*
De adult. & stupro. non est satis ju-
 stus ad matrimonium irritandum.
Guttier. de matrim. c. 76. n. 49.

Præterea ex nova constitutione
 Concilij Trid. *s. 24. de ref. mat. c. 6.*
 inter raptorem & raptam quamdiu
 hæc in potestate raptoris manet, ma-
 trimonium consistere non potest, us-
 quedum à raptoe separata ac in loco
 tuto & libero constituta noviter in eum
 consenserit. raptor autem excommu-
 nicationem & infamiam ipso Jure
 incurrit, raptamque dotare tenetur,
 sive uxorem duxerit, sive non duxerit.

Verùm cum impedimenta matri-
 monij sint odiosa & in dubio potius
 restringenda, ideò DD. ab hac consti-
 tutione Trid. aliquos casus excipiunt,
 ut. 1. si foemina tantum libidinis cau-
 sa rapta sit, & ex post facto mutatâ vo-
 luntate in uxorem duci velit, quia
 Trid. tantum loquitur de raptoe vio-
 lato.

latore libertatis matrimonialis, & a-
 quitas suadet, ut violatio honoris per
 matrimonium compensetur. 2. si viri
 rapi curet foemina, eò quòd leges in-
 dubio non accipiantur de casibus
 insolitis. *l. nam ad ea. ff. De. LL.*
 3. si foemina in vitis parentibus, ipsa ta-
 men consentiente rapiatur, quia rap-
 tus propriè non committitur in volen-
 tem. 4. si sponsum rapiat suam spon-
 sam, nam contractis semel sponsali-
 bus non amplius admittitur libertas
 matrimonialis, quæ iam per contra-
 ctum sponsalium adempta est. Sed ta-
 men exceptiones istæ non sunt apud
 omnes receptæ, & circa singulas pro-
 contrariâ etiam sententia authores al-
 legat Barb. *in collect. ad c. 6. Trid. n.*
2. & seqq. ut propterea in casu aliquo
 simili contingente Parochi pro tutio-
 ri deberent dispensationem aut decla-
 rationem Episcopi requirere, sicut e-
 tiam superiùs *sect. 4. de cognat. spirit.*
circa. fin. dictum.

SECTIO VIII.

DE ORDINE.

1. *Ordines sacri dirimunt matrimonium.*
2. *Quæ poenæ sint contrahentium in ordinibus sacris.*
3. *Matrimonium non dissolvitur per susceptionem Ordinum, sicut per ingressum monasterij. Et ordinatus efficitur irregularis.*
4. *In minoribus ordinibus validè contrahitur matrimonium.*
5. *In minoribus contrahens est ipso jure privatus suis beneficijs; fallit tamen si tantùm sponsalia de futuro contraxit.*

CLerici in majoribus ordinibus constituti matrimonium contrahere nullatenus possunt propter votum castitatis, quod Sacris ordinibus annexum est, & in quod succipiendo Sacrum ordinem ipso facto consentire censentur, quamvis alijs verbis

non exprimant. *c. un. De voto in 6.*
 2 Si defacto contrahere præsumpserint ad dimittendas mulieres & agendam poenitentiam per suspensionis & excommunicationis censuram compellendi sunt *c. 1. De cler. conjug.* imò ex *clerm. un. De consang. & affin.* ipso facto excommunicationem incurrunt, fiuntque irregulares, ita ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores valeant promoveri: in qua tamen irregularitate post peractam poenitentiam dispensare Episcopo concessum est, dummodo cum vidua non contraxerint. *c. 1. & 2. Qui clerici vel vov. & c. 4. De cler. conjug. c. fin. De bigam. non ord.*

3 Quid autem Juris, si post contractum matrimonium aliquis laicus suscipiat Sacros Ordines, anne tali casu dissolvatur matrimonium, sicut superius *sect. 3. n. 2.* de ingressu in Religionem dictum? De hac quaestione extat constitutio in *Extravag. un. Joann. XXII.*

XXII. De voto. quòd votum solenni-
zatum per susceptionem Sacri Ordi-
nis dirimat quidem matrimonium,
post contrahendum, non autem, ma-
trimonium antea contractum, etiamsi
id per carnis copulam consummatum
non sit, eo quòd nec jure divino, nec
per sacros canones reperiatur hoc sta-
tutum. Præcipit item S. Pont. ut, si
aliquis de facto post contractum ma-
trimonium Ordinatus fuerit, id tamen
necdum consummauerit, per Ordina-
rium instanter moneatur & induca-
tur, ut Religionem ingrediatur, quod
si forsan renuerit adimplere, ipsum,
si uxor ejus institerit, per censuram
Ecclesiasticam compellat contractum
matrimonium consummare. Coete-
rum post contractum Matrimonium
Ordinatus efficitur irregularis & ma-
net talis etiam soluto matrimonio, si
tamen Religionem approbatam in-
gressus fuerit, & professionem taci-
tam vel expressam fecerit, poterit cum

I s

ipso

ipso Episcopus dispensare. *d. Extravag. un.* Sed quare potius Sacri canones statuerunt, ut per ingressum in Religionem dissolveretur matrimonium ratum quam per susceptionem sacrorum ordinum? Et illam (præter alias, quas refert *gl. in d. Extravag. un. in v. est censendum*) posse congruentiæ rationem assignari, quod ingrediens Religionem censeatur spiritualiter mundo mortuus. *c. placuit. 8. ubi gl. in v. mortuus. 16. q. 1.* & ab omni consortio prioris sponsæ in perpetuum separatus, è contra qui tantum Sacros ordines suscipiens in sæculo remanet, multis occasionibus & tentationibus expositus sit, ad relictam sponsam mutatâ voluntate & reconcepto pristino amore revertendi.

- 4 Clerici in *minoribus ordinibus* constituti matrimonium quidem contrahere possunt, sed si contrahant, omnibus beneficijs Ecclesiasticis privantur, quia simul voluptatibus & carnalibus de-
- fide.

fiderijs, ac divinis & Ecclesiasticis obsequijs vacare non valent, ait Pont. in c. 3. De cler. Conjug. & quod hæc privatio ipso Jure inducatur etiam ante sententiam Judicis, nec post contractum matrimonium tutâ conscientiâ clericus contrahens possit amplius percipere fructus sui beneficij, innumeris penè authoritatib⁹ probat Barb. in Collect. ad c. 1. De cler. conjug. n. 2. cui non resistit, quòd poenæ in conscientiâ ante sententiam Judicis saltem, declaratoriam locum non habeant; nam responderi potest, quod supradicta privatio non proveniat propriè ex poenâ, sed magis ex incompatibilitate beneficij cum statu matrimoniali, & ita ex interpretativa renunciatione beneficij à clerico per contractum matrimonij factâ. Est autem hîc notandum, quod de privatione beneficij dicitur, esse intelligendum si ipsum matrimonium actu contractum sit; si verò sponsalia tantùm de futuro cle-

ricus in minoribus contraxerit, necdum suo beneficio renunciasset censetur, quia necdum statum incompatibilem actu suscepit. *Sanch. de matrim. lib. 7, disp. 46, n. 23.*

SECTIO IX.

DE LIGAMINE.

1. *Christiano non licet habere plures uxores.*
2. *Utrum qui defacto pendente primo matrimonio secundum contraxit, mortua prima uxore possit secundam retinere?*
3. *Qualiter debeat probari mors conjugis, ut liceat transire ad secundas nuptias.*

CUM inter Christianos polygamia prohibita sit & non liceat habere plures uxores juxta illud *Matth. 19. quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, mœchatur, &c.* ideo

ideò propter impedimentum *ligami-*
nis sive *vinculi* invalidum est matri-
monium posterius, quamdiu aliquis
priori *ligatus* est.

Quòd si quis de facto contraxerit. 2
matrimonium vivente prima uxore,
distinguendum erit, an mulier sciverit
virum legitimam habere uxorem, vel
an ignoraverit? si scivit ab initio vel
ex postfacto & insuper passa est se
cognosci ab eo (secus si cognita nun-
quam fuisset) tunc etiam post mor-
tem primæ propter adulterium & fi-
dem datam est impedimentum diri-
mens inter ipsos. si ignoravit secunda
uxor vitam prioris toto tempore an-
te mortē ejus, tunc in potestate quidem
secundæ uxoris deceptæ est separari à
viro putativo, eo quòd matrimonium
mortua prima uxore non confirmetur,
cum consensus in matrimonium pro-
pter impedimentum fuerit illegitim⁹,
vir tamen si mala fide egit ratione
promissionis & deceptionis compelli
I 7 potest

potest ad contrahendum de novo cum
deceptâ. de quibus omnibus videatur
tex. & gloss. *in c. 1. c. veniens. & c. fin.*
De eo, qui duxit, & c.

- 3 Quares an & quando possit alter
ex conjugibus ad secundas nuptias
transire, si nihil sciat vel audiat de vi-
ta alterius conjugis absentis? R. ut
Conjux propter diuturnam absentiam
conjugis possit ad secundas nuptias
transire requiri *certum nuncium in c.*
in presentia. 19. De sponsal. idque non
esse accipiendum de uno teste, sed de
denunciatione certa, cui in iudicio fi-
des haberi possit, *gloss. & DD. ibidem.*
Interim tamen non erit necessè mor-
tem conjugis absentis per testes omni
exceptione majores probare, sed etiam
vehementes præsumptiones admit-
tentur, ut si fortè cum uno teste fama,
senectus, diuturna emansio vel alia
conjecturæ concurrant *tex. in c. quo-*
niam. §. porro. vers. si autem ubi gloss.
in v. presumatur. ut lite non contest.

l. nov.

l. non omnes §. à barbaris. De remi-
lit. Zoes. ad tit: Decret. De secundis
nupt. n. 6. Quòd si aliquis de facto
contraxit ante certum nuncium ac-
ceptum, quia valor matrimonij est in
suspensio, petere debitum non potest
propter periculum adulterij, reddere
tamem tenetur, ne pars altera inno-
cens, quæ in bona fide est & possessio-
ne matrimonij, jure suo ex contractu
quæsito privetur. *c. Dominus, De se-*
cund. nupt. quare optimâ consuetu-
dine passim introductum est, ut, nisi
evidenter constet de morte conjugis
absentis, non liceat Parochis dare li-
centiam conjugi præsentis secundas
nuptias contrahendi, sed concessio hu-
jus licentiæ pertineat ad Consistorium
Episcopale, cui incumbit attestations
de morte conjugis absentis, sufficien-
tēsne sint, examinare. & quia non-
nunquam contingit attestations per
malitiam ex practitari, id quoque a-
licubi receptum est, ut pro majori se-
cun-

cun-

curitate volenti ad secundas nuptias transire juramentum à Judice Ecclesiastico deferatur, quòd nihil malitiosè egerit, & nec sciat nec credat vitam conjugis absentis.

SECTIO X.

DE PUBLICA HONESTATE.

1. *Quid sit publica honestas, & quomodo que dirimat matrimonium.*
2. *Reformatio Tridentini circa hoc impedimentum procedit tantum in sponsalibus de futuro, non de presenti.*
3. *Ex Sponsalibus conditionatis non oritur publica honestas, nisi fuerit conditio, que non suspendit obligationem.*
4. *Dicitur declaratum à S. Congreg. quod sponsalibus mutuo consensu dissolutis non remaneat publica honestas.*

Iustitia publica honestatis, est ali-
qua quasi affinitas, quæ ex conjun-
ctione & affectione animorum oritur
in sponsalibus de futuro & de præsen-
ti: differt propterea à vera affinitate,
quòd hæc non tantùm ex affectu spon-
salitio, sed ex copula carnali oriatur.

De Jure antiquorum Canonum hoc
impedimentum extendebatur usque
ad quartum gradum, ita ut etiam dis-
solutis sponsalibus aliquis suæ sponsæ
consanguineam intra quartum gra-
dum ducere non potuerit. Sed hodiè
constituit Concilium Trid. *f. 24. de
ref. matr. c. 3.* ut Justitiæ publicæ ho-
nestatis impedimentum *primum gra-
dum* non excedat, & si sponsalia qua-
cunq̃ ratione valida non erunt, nul-
lum oriatur impedimentum. Atta-
men Pius V. in sua Bulla. *ad Roma-
num, &c.* declaravit, hanc reforma-
tionem Trid. procedere tantùm in
sponsalibus *de futuro*, non item spon-
salibus *de presenti*, unde etiam hodiè
si con-

I

2

si conjux ante consumationem matrimonij moriatur, non poterit superstes conjux cum præmortui conjugis consanguineis intra *quartum gradū* contrahere, cum enim sponsalia *de presenti* sive matrimonium ratum publice in facie Ecclesiæ, consumatio autem occultè fiat, scandalosum foret, si quis defunctæ uxoris consanguineam uxore duceret, quæ cõmuni hominum existimatione affinis censetur. *Barb. in collect. ad. d. c. 3. Trid. n. 2. Nav. in Man. c. 22. n. 57.* Item ex sponsalibus *de presenti* hodie oritur *publica honestas* tamen si propter aliquod impedimentū nulla sint, modò ex parte intentionis sive consensus defectus non sit, tum quòd *publica honestas* nō nascatur ex matrimonio qua tali, sed ex matrimoniali affectu, qui etiam supposito impedimento subest: tum quòd ita fuerit constitutum de Jure antiquo *in c. iii. De sponsal. in 6.* idque circa sponsalia *de presenti* non fuisse mutatum Pius. V. in d.

in d. Bulla, ad Romanum, declaraverit. Sanch. lib. 7. disp. 70. n. 5. Barb. in d. c. 3. Trid. n. 14.

In Sponsalibus igitur de futuro tantum locum habet supradicta Concilij Trid. constitutio, ut impedimentum istud ad primum gradum restrictum sit, & totaliter sublatum, si sponsalia invalida fuerint. Deinde ex sponsalibus conditionatis non oritur publica honestas, quin si sponsa v. g. ante eventum conditionis mortua fuerit, eius soror mater vel filia in uxorem duci possit. c. un. §. ille vero. De sponsal. in 6. Sed hoc DD. communiter accipiunt de Conditionibus veris, quæ suspendunt obligationem, quia eorum eventus pendet à futuro tempore, v. g. si parentes consenserint, &c. non autem de conditionibus præteriti vel presentis temporis v. g. ducam te si mille florenos habeas in patrimonio, &c. neque etiam de conditionibus tacitis, quæ sua natura in-

sunt

Sunt sponsalibus, ut nisi deformeris, forniceris, &c. eo quòd huiusmodi conditiones nò suspendant obligationem, sed tantum ex postfacto resolvant. *l. condiciones 99., De condit. & demonstr.* quòd tamen de conditionibus præteriti vel præsentis temporis dicitur, exinde nasci publicam honestatem, intelligendum est, si id quòd in conditionem deductum est, reverà subfuerit, sin autem non subfuerit, v. g. sponsa non habuerit mille florenos, tunc quia statim ab initio nulla fuerunt sponsalia, nullum quoque ortum fuit impedimentum. *c. non præstat. 52. De R. I. in 6. vid. Sanch, lib. 7. disp. 69.*

4 Quid autem dicendum, si sponsalia de futuro mutuo consensu dissoluta fuerint, an maneat impedimentum *Publicæ honestatis*, non satis conveniunt DD. & affirmativa ex eo evinci videtur, quòd talia sponsalia non fuerint nulla ab initio, sed tantum ex post.

postfacto annullata, quæ annullatio non tollit impedimentum sicut paulò ante de defectu tacitæ conditionis dictum. Favore tamen Matrimonijâ Sac. Congreg. declaratum esse, quòd in proposito casu cesset impedimentum *publicæ honestatis*, quasi propter mutuum dissensum retrò annullentur sponsalia ex Farinac. refert Gutierrez *De matrim. cap. 103. n. 11.* Barb. *De offic. Episc. p. 3. alleg. 51. n. 188.* Rebell. & Armendar apud. *eundem citati.*

SECTIO. XI.

DE AFFINITATE.

Affinitas secundum Ethymologiam nominis dicitur, quòd aliquis ad fines seu cognationem alterius accedat. *Non facile. De gradib. Affi. & describi potest, quòd sit conjunctio & proximitas duarum vel plurium personarum*
ex

ex copula proveniens. Circa hoc impedimentum aliquot regulæ breviter notandæ sunt.

I. Affinitas oritur tantum ex copula completa, quæ de se apta est ad generandum licet generatio secuta non sit. ex copula autem attentata, sicut & Spadonum non oritur affinitas. nec obstat *c. juvenis. De sponsal. c. fraternitati. De eo qui cognovit consangu.* ubi videtur asseri, quod etiam ex copula imperfectâ oriatur impedimentum: nam illi textus debent intelligi de impedimento *publicæ honestatis*, non autem *affinitatis*. vid. *Sanchi. lib. 7. disp. 64. n. 7. c. seqq.*

II. Affinitas non tantum oritur ex copulâ matrimoniali, sed etiam fornicaria & quavis illicitâ. *c. discretionem. c. passim. De eo qui cognovit consangu.*

III. Omnes consanguinei uxoris sunt affines marito, & omnes consanguinei mariti sunt affines uxori. idem dicen-

dicendum in copula illicita, quòd consanguinei mulieris cognita fiant affines viro cognoscenti, & econversò.

I V. Inter ipsos consanguineos utriusque partis nulla contrahitur affinitas. undè duo fratres possunt ducere ex altera parte duas sorores, Item Pater & filius, matrem & filiam vel sororem, &c. *c. quod super. De consang. & Affin.*

V. Consanguinei uxoris in illo gradu sunt affines marito, in quo sunt consanguinei uxoris, & econtrà: ita soror uxoris est marito affinis in primo gradu affinitatis, quia uxori est in primo gradu consanguinea.

VI. Affinitas orta ex matrimonio dirimit matrimonium usque *ad quartum gradum inclusivè*; orta autem ex copula illicita tantum usque *ad secundum inclusivè*. *Trid. s. 24. de ref. matr. c. 4.* quod posterius ita statuit *Trid.* quia aliàs periculum foret, ne plurima matrimonia nulliter contraheren-

herentur, cum affinitas ex copula illi-
cita plerumque occulta sit.

VII. Olim impedimentum exten-
debatur usque ad secundum & tertium
genus affinitatis *c. 3. c. fin. 35. 9. 3.*
hodie vero ad primum genus affini-
tatis restrictum est *c. non debet 8. De*
Consang. & affin. dicebatur autem in
secundo genere affinitatis mihi con-
iunctus, qui est affinis mei affini, vel
qui cum affine mea copulam habuit
& in tertio genere affinitatis, qui est
affinis illius, qui mihi in secundo
genere affinitatis coniunctus est.

SECTIO. IX.

DE IMPOTENTIA.

1. *Impotentia ut dirimat matrimo-
nium debet praecessisse contractum
& esse perpetua.*
2. *Non redintegratur matrimonium
si impotentia ex post facto cesset
extraordinariè*

3. Eunuchi carentes utroq^{ue} teste non possunt contrahere matrimonium.
4. Senibus non est prohibendum matrimonium.
5. Valet matrimonium in articulo mortis contractum ad legitimandam prolem.
6. Impotentes an debeant inviti separari.

VT impotentia nullum reddat matrimonium, non sufficit, si quandoque in matrimonium jam contractum de novo incidat v. g. propter infirmitatem aut maleficium superveniens, sed requiritur, ut matrimonium præcesserit. *c. hi qui. 32. q. 7. & c. si uxorem. 32. q. 5.* nam obligatio ab initio rectè contracta, non tollitur, licet executio ex postfacto deficiat *c. 7. De divort.* Præterea impotentia ut causet impossibilitatem mutua traditionis corporum & consequenter nullitatem matrimonij, perpetua esse debet. Quòd si statim ab initio constet

K de

de ista *perpetuitate*, statim divortium concedendum est: sin autem dubitetur, anne successu temporis tolli possit, ad probationem *triennium* conceditur, & ideò si Conjuges naturaliter vel ex maleficio impotentes redditi per triennium cohabitârint, & interea precibus, jejunijs, exorcismis alijsque licitis medijs pro avertendo maleficio usi sint, nullus autem effectus secutus fuerit, ex tunc tanquàm perpetuo impedimento laborantes separari possunt. *c. si sortiarias, 33. q. 1. c. fraternitatis. & c. laudabilem. De frigid. & malefic.*

- 2 Quid autem, si primum matrimonium propter impotentiam separatur & in secundo matrimonio cum alio vel alia contracto impotentia per artem magicam, vel miraculum, vel quocumque alio modo præter naturalem & licitum cesset, nunquid primum matrimonium redintegrari debet? *sz. negativè, quia impedimentum*

ex sua natura fuit perpetuum, per accidens autem est, quòd propter remedium aliquod præternaturale cessârit. idem dicendum tametsi impotentia tantum respectiva (scil. respectu huius viri) per usum secundi, cui mulier copulata est, sublata fuisset: quia absolutè verum fuit, respectu primi fuisse impotentiam perpetuam & Matrimonium nulliter contractum, neq; contrarium evincitur ex *c. fraternitatis De frig. & malefic.* cum ibi supponatur, quòd primus vir non adhibuerit omnem diligentiam & modum tollendi impotentiam, sicut colligitur ex illis verbis: *cum pateat ex postfacto, quòd ipsa cognoscibilis erat, &c.*

De Spadonibus & Eunuchis caren-
 ribus utroque teste (secus si altero tan-
 tum carerent) extat Motus proprius
 Sixti V. quem refert Sanch. *lib. 7. disp.*
92. n. 17. quòd matrimonium contra-
 here non possint, licet valeant uti cor-
 pula, sed propter utriusque testis ex-

sectionem nequeant seminare. Alia &
 4 verò est ratio de Senibus, quorum co- sub
 pula ex sua natura propter emissionem & c
 feminis apta est ad generandum, & leg
 tantum per accidens inepta. Vnde Jur
 nisi senex aliquis ita exhaustus & mor- Por
 bis vel quacunque de causa ita debi- de
 litatus sit, ut nulla spes esse possit, quòd lib.
 vel arte medicâ vel ullâ ratione ha- Qu
 bilitari valeat ad usum matrimonij, im
 non est ipsi matrimonium prohiben- five
 dum, sicut ex communi Ecclesiæ con- ult
 suetudine notum est, & docent citati deb
 apud Barb. *inc. 2. De frigid. & ma- cum*
 5 *lesi. n. 6.* Imò specialiter propter fa- con
 vorem legitimationis ex receptâ om- qui
 nium penè DD. sententiâ admitten- ut
 dum & validum est matrimonium, poss
 quod senex decrepitus, vel alius qui rari
 cunque in articulo etiam mortis con- trad
 stitutus contrahit cum illâ, ex qua pri- non
 liberos illegitimos suscepit, in ordi- vale
 ad eorundem liberorum legitimationem, soci
 eò quòd in tali matrimonio spe
 & bo

& bonum proles, eo saltem respectu
 subsit, quòd proles antea illegitima,
 & quasi pro non prole habita, jam
 legitimetur, & quoad omnes effectus
 Juris vera proles efficiatur, *vid. Basil.*
Pont. De matrim. lib. 11. c. 1. §. 1. Cov.
de spons. p. 2. c. 8. §. 2. n. 10. Sarmient.
lib. 1. select. c. 6. Barb. in c. tanta.
Qui filij sint legitimi. n. 8.

Demùm hìc adnotandum est, quòd
 impotentes, qui defacto sive scienter,
 sive ignoranter contraxerunt, si velint
 ultrò ex utraque parte cohabitare, non
 debeant inviti separari, nam tunc lo-
 cum habet, quod dicit Pontif. *in c.*
consultationi. De frigid. ut eam, quam
quis non potest habere uxorem habeat
ut sororem quòd si autem petant ex
 postfacto aliquandò ab invicem sepa-
 rari, debebunt separari, nam talis con-
 tractus cum propter impedimentum
 non sit matrimonialis, ad summum
 valet in vim *Societatis*; constat verò
 societatem in perpetuum propter rixa-
 rum

rum periculum contrahi non posse
l. si convenerit. 14. ff. Pro socio. Ipsi
 quoque voluntaria cohabitatio non
 aliter permittenda est, quam si nul-
 lum periculum subsit actus imperfe-
 ctos & illicitos exercendi, propterea
 nec in eodem lecto impotentes con-
 dormire debent, ut Statuit S. xtus. V.
 in supradicto suo Motu proprio de
 Eunuchorum matrimonijs cuius ver-
 ba formalia circa hoc punctum referat
Sanch. lib. 7. disp. 97. n. 5.

§. III.

DE SOLENNITATE Matrimonij.

1. Solemnitates quae sint extrinsecae ma-
 trimonij.
2. Extra necessitatem non debent fieri
 denunciations tribus festis sibi im-
 mediatè succedentibus.

3. Si contrahentes sint ex diversis Paro-
chijs, in utraq³ debent fieri denūcia-
tiones, & ibi quando denunciations
possint omitti.
4. Non requiritur de Iure ut copulatio
fiat in Ecclesia materiali.
5. Ad substantiam matrimonij requi-
ritur hodie, ut contrahatur coram
Parocho & testibus.
6. Quis dicatur proprius Parochus.
7. Quid observandum circa matrimo-
nia vagorum hominum.
8. Parochus etiam extra suam Paro-
chiam potest assistere matrimonio
suorum Parochianorum.
9. Parochus non potest dare licentiam
assistendi matrimonio nisi sacerdoti,
ipse tamen parochus non tenetur esse
sacerdos: & ibi etiam quid requira-
tur, ut alius quam Parochus validè
assistat.
10. Etiam ordinarius potest dare licen-
tiam assistendi matrimonio.
11. Ad matrimonium non requiruntur

K 4 testes

- testes omni exceptione majores.
112. Nulla necessitas vel ignorantia excuset ab observatione solennitatis substantialis.
113. Qualiter matrimonia nulla reconvalidari debeant.
114. Liberi nati ex matrimonio nullo, dummodo unus ex conjugibus fuerit in bona fide, sunt legitimi.
115. Confessarius an teneatur moneere habentes impedimentum, si id ignorent.
116. Episcopus potest dispensare, post matrimonium contractum in impedimenti occultis.

Solennitas Matrimonij alia est extrinseca, alia intrinseca, seu substantialis. Solennitas extrinseca est, ut desponsati ante actualem contractum matrimonij à proprio suo Parochis tribus continuis festivis diebus in Ecclesia publicè denuntientur; ut Parochus mutuo desponsatorum consentiens interrogato dicat, ego vos conjungo in nomine

nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Item ut ante sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendam conjuges in eadem domo non cohabitent *Trid. s. 24. de ref. matr. c. 1.*

Dixi, desponsatos debere ante solennizationem matrimonij à proprio suo Parocho *tribus continuis festivis diebus* in Ecclesia publicè denunciari, ut audientes impedimentum matrimonij, si quod sciant, inter contrahentes esse, maturè insinuent. *Trid. d. s. 24. c. 1.* vtrum autem nomine il-

2

lorum dierum festivorum continuorum, de quibus concilium loquitur, etiam intelligantur dies sibi immediate succedentes pro utraque parte DD. allegat Barb. in eodem c. 1. n. 19. Existimo menti legis esse conformius, ut textus Concilij intelligatur de talibus festis, quæ sibi per intervallum aliquot dierum ferialium succedunt, ut denuntiationes tantò melius ad

K s

om-

omnium præcipuè aliquod interesse habentium cognitionem deveniant. Interim tamen si justa aliqua causa accelerandi matrimonij subesset neque facilis esset recursus ad Episcopum, etiam tribus immediatè succedentibus festis denuntiationes per Parochum propriâ authoritate fieri possent. *jur. sent. Basil. Pont. de Matrim. c. 26. §. 4. in pr.*

- 3 - Si contrahentes sint ex diversis Parochijs, in utraq[ue] sponsi & sponsæ Parochia denuntiationes faciendæ esse cõmunis est conclusio. *Zerola in pract. Episc. p. 1. v. Matrimonium. §. 5. Pont. d. §. 4. & aly passim.* Ille quoque usus, qui in quibusdam locis observatur, nõ est irrationabilis, si unus ex contrahentibus modico tempore v. g. per paucas septimanas sit in Parochia, & priùs per longius tempus fuerit commoratus in alia, ut tunc etiam in illâ Parochiâ, in quâ prius habitavit, denuntiationes fiant, quia frequenter

con-

contingit, quod præsertim famuli & similes in fraudem priorum sponsalium ad aliam Parochiam transeant.

Cœterum quamvis denuntiationes non sint de substantia matrimonij, nihilominus à Parocho sine gravi peccato omitti non possunt, Quòd si verò periculum sit ne malitiosè à quibusdam æmulis matrimonium impediatur, tunc ex licentia Ordinarij posse denuntiationes omitti, vel saltem primùm post contractum matrimonium ante consummationem fieri tex. est in *d. c. 1. Trid.* Quandoque tamen etiam per ipsum parochum sine licentia Ordinarij denuntiationes post contractum matrimonium differri possunt, si nimirum urgens aliqua necessitas premat, ut non sit occasio commodè adeundi Ordinarium, veluti si concubinarius in periculo mortis constitutus pro legitimatione liberorum, velit concubinam in uxorem ducere, vel si sponsus sit in procinctu discedendi

dendi ad longius tempus, & interim periculum sit, ne in præjudicium sponsæ cum alia matrimonium contrahat, *Nav. Conf. 1. De cland. desp. Sanch. d. l. 3. disp. 10. n. 25. Pont. d. § 4.*

4 Sed nunquid etiam ad solennitatem extrinsecam matrimonij pertinebit, ut contractus matrimonij non alibi, quàm in Ecclesia fiat, cum expresse Concili. jubeat in facie Ecclesiæ contrahi? R. ex communi DD. sententia per illa verba, per quæ præcipitur in Trid. ut copulatio fiat in facie Ecclesiæ, non induci obligationem, ut copulatio fiat in ipsa Ecclesia materiali, neque id posse ab Ordinario vel Parocho invitis Parochianis injungi, sed sufficienter dici in facie Ecclesiæ contractum Matrimonium, si etiam in domo privatâ coram Parocho, & testibus contrahatur. *ita Sanch. d. l. 3. disp. 15. & plures cc. à Barb. in d. c. 1. Trid. n. 35.* Verùm ego credo, cum maximè rationabile ac decens sit, ut

con-

contractus matrimonialis, utpotè Sacramentalis, in Ecclesiâ ipsâ celebretur, consuetudine ita passim declaratum vel introductum esse, ut Parochus non teneatur Matrimonio privatorum hominum extra Ecclesiam in privatis domibus sine rationabili causa assistere.

Solennitas intrinseca, seu substantialis matrimonij (sine quâ nullum & invalidum reputari debet) est, ut contrahatur *coram proprio Parocho & duobus vel tribus testibus. Trid. d. c. 1.* circa quam solennitatem

Not. est 1. Proprium Parochum non tantum dici illum, in cujus Parochia contrahentes domicilium firmum, & perpetuum, sed etiam ubi per majorem anni partem actu habitârunt, vel etiam habitare intendunt. *Pontius de matrim. l. 5. c. 13. §. 1. n. 4. & seqq.* undè famuli Dominorum vel rusticorum si in aliâ Parochiâ oriundi sint, & in alia serviant debent copulari

culari coram Parocho loci in quo
 feruntur : eo quòd solum Parochum
 originis, qui non sit simul Parochus ha-
 bitationis (saltem respectu unius ex
 desponsatis) non censi proprium
 Parochum ad assistendum matrimo-
 nio cum communi doceat Sanch. de
Matrim. lib. 3. c. 23. n. 7. Pont. d. h.
n. 2.

Not 2. quandò contrahentes sunt
 ex diversis Parochijs , tunc Parochum
 sponsi hoc ipso etiam censi proprium
 Parochum sponsæ, si in loco ubi spon-
 sus habitat, Matrimonium contraha-
 tur, & vice versâ Parochum sponsæ
 futurum proprium sponsi, si in Paro-
 chia habitationis sponsæ contrahatur
 matrimonium. *Sanch. d. l. 3. disp. 19.*

7 Not. 3. homines vagos, qui nulli
 bi habent domicilium, coram quocun-
 que Parocho copulari posse, quia non
 est major ratio respectu unius Paro-
 chi quàm alterius. Attamen circa i-
 stos vagos specialis est prohibitio in
 Trid.

Trid. s. 24. de ref. mat. c. 7. ne Parochi eos copulent, nisi diligenti inquisitione super istorum statu præmissâ, & habitâ licentiâ ab Ordinario, quia frequenter contingit, quod ejusmodi vagi primâ uxore adhuc vivente relicta alias diversis in locis superinducant.

Sed quid si Parochus nec diligenti inquisitione præmissâ, nec licentiâ ab Ordinario habitâ vagos homines copulaverit, anne matrimonium valebit? *R.* affirmativè, quia *Conc. in d. c. 7.* non habet decretum irritans, aliundè autem nota est regula, quòd multa fieri prohibeantur, quæ tamen cum facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. *c. ad Apostolicam. 16. de Regular.* quæ regula maximè locum habet in causâ favorabili, sicut est matrimonium, utpote pro cuius valore in dubio generaliter respondendum est. *c. fin. de sent. & re Ind. vide Sanch. de matrim. L. 3. disp. 23. & seqq. Gu-thierres*

thierez de Matrim. c. 55. n. 15. & c. 61. n. 7.

8 Not. 4. quòd Parochus etiam extra suam Parochiam matrimonio suorum Parochianorum valjè intersit, & assistat, cùm sit actus voluntariae Jurisdictionis, qui extra territorium quòque rectè exercetur. *jux. l. 2. ff. de offic. Procons.*

9 Not. 5. ut alius quam Parochus matrimonio validè assistat, sufficere, si ei in genere licentia detur omnia peragendi, quæ ad Parochiam & curam animarum spectant. debet tamen hæc licentia esse expressa, & antecedere contractum Matrimoniale, undè non sufficere præsumptam, neq; ratihibitionem ex postfacto accedentem tenent DD. magno numero allegati apud Barb. *in collect. ad d. c. 1. s. 24. de ref. mat. n. 108. & seq. & à S. Congreg. Card. ita resolutum refert Menoch. de arbitr. casu 453. n. 13. ratio esse potest, quòd cùm præsentia*

vel

vel licentia Parochi sit de formâ con-
 trahendi Matrimonij, per aequipol-
 lens vel aliquid quod est præsumpti-
 vè tale, ut ratihibitionem, suppleri
 non possit *arg. tex. in § tutor. autem.*
Instit. de author. tut. Præterea etiam
 is cui hæc licentia datur, sacerdos esse
 debet, quia id satis clarè requiritur. *in*
d. c. 1. Trid. undè non posse Parochum
 vel Ordinarium concedere licentiam
 assistendi matrimonio alicui clerico
 non sacerdoti, docent Nav. *Conf. 6.*
de cland. dispens. Pont. de impedim.
matrim. c. 26 §. 6. vers. is autem.
 neque tamen propterà etiam ipse
 Parochus qui matrimonio assistit sa-
 cerdos sit, necesse est, quia Conciliū
 illam qualitatem sacerdotij in Paro-
 cho non exprimit, sed tantūm sub al-
 ternatione dicit, ut matrimonium
 contrahatur coram Parocho, *vel a-*
lio sacerdote, in alternativis autem
 sufficit alterum impleri. *jux. c. in al-*
ternativis. de R. l. in. 6. nec obstat
 quòd

quòd alia Sacramenta non nisi Sacerdos administrare debeat, quia in matrimonio Parochus non requiritur tanquam minister, sed potius tanquam testis. undè etiam si excommunicatus, prohibitus, invitus, assistat, validè assistet. *vide. Sanct. de matrim. lib. 3. disp. 20. & seqq.*

Io Not. 6. licentiam assistendi matrimonio non tantum à Parocho sed etiam ab Ordinario concedi posse, sicut *in d. c. 1. Trid.* habetur. Ordinarii autem nomine præter Episcopum Capitulum sede vacante, Vicarium Episcopi generalem, Legatum de latere in provincia suæ legationis, Abbates Ecclesiarum nulli Episcopo subiectarum venire tradunt c.c. apud Barb. *d. l. n. 98. & seqq.*

IIo Not. 7. ad matrimonium non requiri testes omni exceptione majores, sed quoscunque sufficere rationis compotes, qui scilicet satis intelligunt rem de qua agitur, sive deindè sint dome-

stici

stici, infames, feminae, consanguinei, &c. *Barb. d. l. n. 121.* neque enim Trid. similes testes excludit, maximo alioquin periculo nullitatis exposuisset contractum matrimonij, cum experientia constet quam facile exceptiones contra testes reperiantur, sicut propterea quamplurima testamenta, quod in ijs testes omni exceptione majores requirantur, suis viribus destituuntur.

Not. 8. quod nulla necessitas vel ignorantia excuset ab observatione legis, quae formam actui praescribit, quatenus eam formam non servatam actus valere possit; quare licet aliquis immediate ante repentinum discessum contracturus Parochum vel testes habere non posset, vel homo rudis invincibiliter ignoraret requiri, nihilominus sine eorum presentia invalidè contraheret. *tex in Trid. s. 4. de ref. matrim. c. 2. in princ. Sanch. d. lib. 3. disp. 17.*

Not. 9. quando matrimonium
cele-

celebratum coram Parocho & testibus
 fuit nullum occultè ob defectum con-
 sensus occultum, vel ob impedimen-
 tum occultum, si ille defectus cesserit.
 (v. g. si in affinitate occultâ dispen-
 satio clàm obtenta sit, uxor legitima,
 de quâ nihil sciebatur mortua, &c.)
 non esse necessarium ut ad revalida-
 tionem illius iterum coram Parocho
 & testibus celebretur, durat enim hoc
 casu effectus solennitatũ primitus ad-
 hibitarum, quia matrimonium tale
 occultè revalidatum facilè negari
 non potest, cum propter solennitates
 antecedentes constet, quod publicè
 contractum fuerit, & econtra ex sup-
 posito non constet de impedimento.
 notanter dixi, si defectus matrimonij
occultus fuerit. sin autem Juridicè sal-
 tem per duos testes probari posset, ad
 revalidationem matrimonij so-
 lennitates omninò reiterari deberent,
 quia subesset periculum, ne quando-
 que Matrimonium ab alterutrâ parte
 negare.

neg
 tra
 ri p
 nin
 c. 7.
 scia
 val
 eo
 tion
 nor
 & r
 leg
 imp
 fide
 trin
 per
 sint
 ma
 fact
 vel
 tum
 val
 fict
 sent

negaretur, si nullitas in primo contractu propter impedimentum probari posset, & consensus novus esset omnino occultus. *Nav. in Man. c. 22. c. 7.* sed quid si una pars tantum conscia nullitatis fuerit, quo modo convalescere poterit matrimonium absq̄ eo quod altera pars de nullitate certior fiat? posset enim talis certioratio nonnunquam causa scandali, infamiae, & multarū litium esse, liberis quaestio legitimitatis moveri, saltem à multis imperitis, licet reverà propter bonam 14 fidem alterutrius conjugis etiam matrimonio separato legitimi sint. *c. perlatum. & c. ex tenore pen. Qui filij sint legitimi.* Distinguendum erit, an matrimonium sit invalidum ex defectu consensus in alterutro conjugū, vel an sit invalidum propter occultum impedimentum. priori casu convalescet matrimonium, si ille qui v. g. fictè tantum consensit, de novo consentiat absque eo quod alteri nullitatem

tem

tem matrimonij indicet, vel novum
 ejusdem consensum requirat, neque
 enim ad matrimonium necessarius est
 simultaneus formaliter consensus viri
 & feminae, sed satis est, quod is qui
 prior tempore consensit, in sua volun-
 tate perduret & consensum non re-
 vocaverit. Volunt tamen DD. ut iste
 novus consensus non sit merè inter-
 nus, sed per signum aliquod extrin-
 secum, saltem per copulam exprima-
 tur, quia ad essentiam Sacramenti re-
 quiritur signum visibile, & quam-
 vis prius jam adfuerit signum, scilicet
 contractus extrinsecus matrimonij, &
 tantum defuerit consensus, est tamen
 illud signum hic & nunc insufficiente,
 quia fuit solummodo putativum &
 falsum.

Altero casu si subfuerit occultum
 impedimentum dirimens, idque for-
 san ob dispensationem clam impe-
 tratam, vel alio modo cessarit, requi-
 ritur quidem novus utriusque consen-
 sus

sus
 me
 me
 ma
 pa
 eâ
 sen
 lat
 sen
 ses
 esse
 diff
 Co
 con
 unc
 tur
 dea
 imp
 re,
 plex
 sati
 lum
 ac a
 sus

sus quia prior propter tale impedi-
 mentum erat invalidus, interim ta-
 men si alicujus scandali vel alterius
 mali periculum subsit, nō est necesse, ut
 pars altera ignara nullitatis prius de
 eā certioretur, & ita novus ipsius con-
 sensus petatur, sed sufficiet, si dissimu-
 latā nullitate interrogationi de præ-
 senti factæ consentiat. v.g. si non es-
 ses mea uxor velles fieri & defacto vis
 esse mea uxor, &c. *vid. Sanch. lib. 2.
 disp. 26. & seqq.*

Not. est 10. quòd Parochus vel
 Confessarius non teneatur monere 15
 conjuges quos ex confessione vel ali-
 undè intelligit habere impedimen-
 tum dirimens *occultum*, si vide-
 deat ipsos in bonâ fide esse, & illud
 impedimentum *invincibiliter* ignora-
 re, & e contra ex admonitione per-
 plexitas, scandalum, propter dispen-
 sationem diu expectandam pericu-
 lum incontinentiæ, mutui dissensus,
 ac aliarum incommoditatum foret.
c. quia

c. quia circa, De consang. & affin. Gu- tier. de matrim. cap. 48. Sanch. lib. 2. disp. 38.

16 Not. est ultimò, quòd Parochus, si intelligat aliquos habere impedimentum occultum, non debeat ipsos ad S. Pontificem dirigere pro dispensatione petenda, sed potius ipse debeat per litteras aut alio modo pro ijs dispensationem apud Episcopum impetrare. nam quandò matrimonium semel bonâ fide & præmissis denuntiationibus contractum, ac impedimentum jure humano introductum occultum est, ac tale, in quo solet dispensatio concedi, tunc urgente necessitate etiam Episcopus dispensare potest; & dicitur urgere necessitas, si locus sit Româ valde distans, essetque magnum incontinentiæ periculum tamdiu expectare, vel si propter inopiam aut aliud impedimentum non esset commodus ad Papam accessus, *Nav. in man, c. 22. n. 85. Laym. in Theol.*

mor. lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 4. dicitur quoque impedimentum *occultum* in ordine ad dispensationem Episcopo competentem, non tantum quod probari nullo modo potest, sed & illud, quod non est notorium & divulgatum, licet possit probari per aliquos testes. quemadmodum de dispensationibus, quas Episcopus in irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientius facere potest, tradunt magno numero allegati apud Barb. *in Collect. ad cap. 6. Trid. s. 24. de ref. n. 16.*

Quamvis autem DD. communiter sentiant Episcopum non aliter dispensare posse, quam si non tantum ad Papam, sed nec ad Nuncium vel Legatum eius facilis accessus habeatur; nihilominus si Episcopus ipse sit Legatus *natus* (sicut Celsissimus noster Salisburgensis) puto non esse alterius Legati quoad propositum considerationem faciendam, quia circa dispensationem in casu necessitatis dandam

L om-

Omnium Legatorum æqualem esse
 potestatem ait Sanch. *lib. 8. disp. 6. n.*
16. ratio fortassis illa assignari potest
 quòd dispensatio tali casu non com-
 petat Legato vi sui officij & ex specia-
 li Privilegio (sicut multa Privilegia
 sunt concessa Legatis *de Latere* quæ
 alijs Legatis sunt denegata. *c. volentis*
& c. pen. De offic. Legati. c. 1. Eod.
in 6.) sed potiùs ex interpretatã meri-
 te Pontificis, qui verosimiliter mavult
 in casu necessitatis contra Canones
 dispensare Legatum, qui ipsius Per-
 sonam repræsental, quam Episcopum
 & cum æque Legatus *Natus* repræsenta-
 ret Personam Papæ, ejusque vices ge-
 rere censeatur, *per tex. notab. in*
c. 1. De offic. Leg. meritò non
 est ipsi hac in parte alius
 Legatus præferen-
 dus.

¶ (H) ¶